SYNODUS
DIŒCESANA BONONIENSIS

AB EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

DOMINO

D. ANDREA JOANNETTO

S. R. E. CARDINALI


ET BONONIENSIS ECCLESIÆ

ARCHIEPISCOPO

CELEBRATA

DIEBUS II. III. ET IV. SEPTEMBRIS

ANN. MDCCLXXXVIII.



BONONIÆ MDCCLXXXVIII.

APUD LONGHI ET A VULPE

IMPRESSORES ARCHIEPISCOPALES.

INDICTIO
DIŒCESANÆ SYNODI

Venerab. Dignitatibus et Canonicis Metropolit. Nostræ Ecclesiæ, et ceteris Dignitatibus, et Canonicis Civitatis, ac Diœcesis Nostræ Bononiæ, nec non Parochis omnibus, Beneficiatis etc. ejusdem Diœcesis.

D. ANDREAS Ordinis S. Benedicti Congr. Camaldulensis, Miseratione Divina S. R. E. Tituli S. Pudentianæ Presbyter Card. JOANNETTUS, Bonon. Archiep. & S. R. I. Princeps.

TArdius quam par, et in votis erat ad Synodi celebrationem Vos convocamus, Ven. Fratres, ac Filii in Domino dilectissimi. Tarditatis caussas superfluum videtur illis exponere, quorum plerique compertas habent. Itaque ad rem nostram quod spectat, illud sæpe animo versavimus nihil antiquius esse debere Ministris Christi, quam ut uno ore atque animo et dignitatem, ad quam sunt evecti, et quod acceperunt Ministerium omni studio honorificare conentur. Id quod fieri recte non posse videtur, nisi quæ lex unum ligat omnes perinde afficiat; et quæ ratio vivendi unius animum exornat reliquos pariter omnes commendet, reddatque illustres. Non ergo dubitandum quin omnes et singuli in Ministerium vocati a Christo, illud alta mente infixum habeant, ut velint omnino se conformes fieri imagini illius, qui eos in sui sequelam, imitationem, ac disciplinam peculiari quodam beneficio adduxit, atque in album domesticorum suorum adscripsit.

Neque vero quis putet Nos eam legem laturos, quæ aut sit debilibus dura et gravis, aut robustis novum pondus adjiciat. Christi jugum suave est, neque aliud Nobis ipsi proposuimus in Congregationibus, quas frequentes habuimus, adhibitis in consilium viris, quorum est satis nota doctrina, prudentia, et pietas, quam ut velut in unum ea colligeremus, quæ unusquisque, quo tempore Clericali militiæ nomen dedit, sibi sumpsit observanda, et colenda. Nihil ergo asperum, nihil durum, nihil grave accidere potest illis, qui sponte ipsi sua jugo Christi colla submisere, immo et omnia jucunda, et suavia prægustarunt. Itaque, Ven. Fratres, ac Filii in Domino dilectissimi, accingite vos armatura fidei, ac in eo sperantes, qui vocatos vos in admirabile lumen constituit ceteris fidelibus Magistros, et Pastores, ut verbo et exemplo viam illis Domini demonstretis, eo animo, ea mente ad Synodum properate, qua decet Sanctos, eoque zelo, quo inflammatos se sentiunt, qui legem Domini die ac nocte meditantes, non sua, sed quæ Christi sunt quærunt, nec aliud ferventius, quam ut et propriam et aliorum salutem consequantur.

Jam quidquid a Vobis, Ven. Fratres Parochi, juxta monita nostra propositum fuit, discussum in præfatis Congregationibus diligenter est; constitutum autem quod in Domino saluberrimum visum est. Attamen si quid interea temporis accidisset, quod vobis videretur necessario aperiendum Nobis, atque ad examen vocandum, superest adhuc tempus, quo id commode, atque opportune perficiatis: nam habebitur Synodus diebus 2. 3. et 4. Septembris.

Reliquum est, ut recenseamus eos, qui Synodo interesse tenentur, et modum, quo ad eam debeant accedere. Notum est vero omnibus Capitula tum Metropolitanæ, tum Collegiatarum, vel hæ in Civitate existant, vel in Diœcesi, Parochos item omnes, et singu-

gulos, Beneficiatos etiam, reliquosque, quos aut jus advocet, aut consuetudo, sine gravi noxa sub pœnis a Canonico jure statutis abesse a Synodo non posse, nisi forte gravi aliqua caussa, cujus vim Nos, aut Generalis Vicarius Noster quanta ea sit dijudicabit, omnino detineantur: qua de re monitos singulos volumus, ut impediti caussam tempestive adducant, ne Ecclesiasticis legibus obtemperantes Nos cogamur negligentes pœnas luere socordiæ suæ. Dum autem de Collegiatis diximus, excepto Metropolitanæ Capitulo, quod Ecclesiæ Senatus est, brachium et fortitudo nostra, quum esse debeat Nobis conjunctissimum, et plane adhærens semper sit oporteat, non ita diximus, ut singuli Canonici dimisso Chori cultu, et Ecclesiæ servitio, interveniant Synodo, sed ut ex illis quatuor ad summum seligantur, qui ceteros repræsentent, et eorum nomine præbeant assensum iis, quæ in Synodo statuenda videbuntur. Parochi vero, Diœcesis præsertim, antequam iter arripiant Synodum nobiscum celebraturi, id accuratissime pervideant, ne aut infirmi, si qui fuerint, quidpiam spiritualis subsidii frustra desiderent, aut ne desit Ecclesiæ servitium, nec Populo pabulum vitæ. Quamobrem Ecclesiam quisque suam commendet aliis Sacerdotibus vel hi Sæculares sint, vel Regulares, qui vices suas fideliter adimpleant et accurate; tum vero itineri se committant secum deferentes talarem vestem, superpelliceum, biretum, stolam, aliaque Ecclesiastica indumenta juxta uniuscujusque gradum, et qualitatem. Nam si ubique gravitate, ac dignitate cum summa modestia excellere debent viri Ecclesiastici, profecto accedentes ad tam sacrum opus, cujusmodi est Diœcesana Synodus, celebrandum, Religionis virtutem in animo defixam, ac latentem demonstrent palam necesse est, atque confirment omni etiam externo cultu.

Atque huc pertinere etiam intelligitur ratio hospitandi, et locus. Neque enim Sacerdotes decet, Cleri-

ricosque ad Diœcesanam Synodum convenientes peculiari suo hospitio carentes apud Cauponas divertere, ibique commorari. Itaque quibus non est locus ullus in Civitate, ubi sine dedecore Ecclesiasticæ dignitatis valeant hospitari, ii Nos, aut Vicarium Nostrum Generalem, aut etiam ipsum Cancellarium Nostrum tempestive moneant, ut quos constituemus hospitiorum Præsides, possint hi opportuno tempore hospitia deligere, eaque numero eorum, quibus nullus in promptu est locus, adaptare.

Ceterum ut Spiritus Sancti dona in hac sacra actione abunde percipiamus, ac præcipue sedium suarum assistricem sapientiam nobis comparemus, quæ nobiscum semper sit et laboret, præcipimus, ut qualibet die in nostra Metropolitana, et Collegiatis addatur Conventuali Missæ Collecta de Spiritu Sancto; in Parochiis vero singulo die festo præter Collectam una cum Populo Parochus, absoluta Missa, vel hymnum *Veni Creator* cum consuetis orationibus, vel pro qualitate Populi ter Dominicam orationem, ac salutationem Angelicam cum *Gloria* devotissime recitet.

Denique Edictum hoc publicis, et consuetis hujus Civitatis, et Centi, Oppidorum etiam Nostræ Diœcesis locis affixum, et ad Vicariatus ejusdem Diœcesis transmissum, volumus ita omnes, qui de jure, ut supra, aut consuetudine convenire, atque interesse Synodo tenentur, arctare, et afficere, ac si unicuique personaliter exhibitum fuisset, et intimatum.

Ex Palatio Nostro Archiepiscopali Bonon. hac die 10. Maii 1788.

D. A. Card. Joannettus Archiepiscopus.

Petrus Magnoni Cancell. Archiep.

AN-

ANTE SYNODI DIŒCESANÆ INCHOATIONEM

ALLOCUTIO

EMINENTISSIMI ARCHIEPISCOPI.

QUanta animi jucunditate, quanta cordis exultatione vestrum in conspectum descendam, Ven. Fratres, et quotquot adestis Filii in Domino dilectissimi, hac ipsa die Nobis ob eam caussam celeberrima, quod ea de re sumus acturi, quæ Redemptori nostro Deo, et homini nonnisi acceptissima potest accidere, vix ac ne vix quidem aut animo possum complecti, aut verbis enarrare. Quum enim ille, cujus verba nunquam præteribunt, futurum se in medio eorum, qui suo in nomine congregantur, per summam benignitatem sit pollicitus, videor mihi intueri ipsum Jesum in cordibus vestris sedentem, qui doceat vos omnem veritatem, suscitetque Sancto suo Spiritu in vobis gratiam, quæ data est vobis per manum Presbyterii.

Atque equidem si vestrum quisque, neque enim hac de re licet minimum dubitare, si quisque vestrum ea mente huc accessit, ut quæ leges Ecclesiasticos viros, atque adeo Christi ministros, et dispensatores mysteriorum Dei omnino decent, eas lubentissime amplectatur, et quæ monita, ac præcepta Sacri inculcant Canones, hæc quasi sua sibi quisque constituat, profecto sanctam hanc cogitationem, voluntatemque a Deo per Jesum Christum, a quo omne datum optimum, accepisse vos credimus, et confitemur: id quod esse non potest, nisi Christus, qui solus Spiritu suo unius homines efficit voluntatis, in vobis sit, et moras faciat gra-

gratissimas. Quamobrem nequit non magnopere gaudere, et exultare in Domino mens mea, fidei oculis perspiciens illum ipsum, qui terribilis, atque justissimus futurus est Judex noster, omni nunc semota severitate, tamquam Patrem amantissimum, Magistrum suavissimum, Ducemque egregium atque tutissimum Vobis præsentem adesse, Vos paterno affectu complecti, instruere, tueri, atque in semitas rectas adducere. Supplex igitur, ac pronus in terram, ut alias, sic nunc cum fiducia adeo thronum gratiæ, precorque demississime tantam hanc Majestatem summa cum benignitate conjunctam, ut quoniam me plane indignum jussit hanc Metropolitanam regere Ecclesiam, quam suo sanguine acquisivit, sanctissimo etiam suo Spiritu illustret, doceat, atque erudiat, ut jam non videar loqui ego, sed ille, quem habitare in me cupio vehementissime, Christus.

Sed quid ego loquar, Ven. Fratres, quod Vobis præsertim, qui plerique aut Magistri in Israel, aut animarum estis Pastores vel ignotum sit, vel non alte animo infixum? Quid ergo? Conticescam? Non id patitur muneris nostri ratio, non id sinit iste locus ad dicendum amplissimus, ut loquamur immo compellit humanæ ipsa conditio naturæ. Nam certe, quæ divina sunt fide credenda nos et corde credimus ad justitiam, et ore profitemur ad salutem, et tamen, quæ est nostra infirmitas, operamur aliquoties multa abstracti concupiscentia, et illecti, quasi fidei ejusdem obliti, aut nescientes immaculatam illam Legem, quæ animas ad Deum convertit, retrahit a terrenis, abhorretque ab omni culpæ inquinamento. Nimirum indigemus omnino omnes, ut sæpe recolamus quæ alias didicimus, ut alieno etiam ore insonent nobis, quæ facienda novimus; qua voce ille, qui ex infirmitate erumpit languor, evanescat, atque excitato confirmatoque spiritu ferveat animus, sumatque vires ad illas alacrius percurrendas vias, quas quum ingressi fuerimus, nostri non

ar-

arctabuntur gressus, nec ullo impedientur offendiculo.

Atque hæc quidem cogitatio, peracto Sacræ Pastoralis Visitationis cursu, impulit Nos ad cogendam totius Diœcesis Synodum, videlicet, ut quæ ab Antecessoribus Nostris tam sancte, et ex communi utilitate sancita fuerunt, in memoriam revocaremus, earumque usum, et observantiam firmissime commendaremus. Neque enim Nos ii sumus, qui positos a Patribus terminos transgressuri novas sternere vias, Majorum instituta, et antiquam disciplinam reformare, aut corrigere audeamus; temeritatis, et periculi, ne quid gravius dicam, plena res esset; sed insistere Antecessorum vestigiis plane volumus, certi Nos ab omni erroris labe abfuturos, si quæ Patres nostri, quorum cum Romana Apostolica Ecclesia ceterarum Matre, et Magistra fuit arctissima conjunctio, tradiderunt, nobisque veluti hæreditatem incontaminatam reliquerunt, ea et sincera mente amplectamur, et opere accurato compleamus. Compleamus, inquam. Namque meminerimus oportet, nos, qui in sortem Domini vocati sumus, ac verbi accepimus Ministerium, si forte prædicationi vivendi ratio nostrá minus studiose respondeat, aut in vitia, quæ aliis effugienda proponimus, aliquando ipsi prolabamur, reos apud Deum futuros non unius, aut alterius, sed multorum omnino criminum: verissime enim animadvertebat Magnus Gregorius * subjectos quosque *non sectari verba, quæ audiunt, sed sola quæ conspiciunt exempla pravitatis imitari*: cui malo illud adjungi solet, quod magnopere vitandum indicit Apostolus, nempe quod vituperetur ministerium nostrum: quo quid gravius, quid potest accidere perniciosius? Vituperato quippe hoc ministerio reliquum remedium nullum est morbis animæ, spes nulla affulget a perditionis via commissam plebem retrahendi, atque ad salutis tramites perducendi. Nostis enim providentissimum Deum Sacerdotum uti consuevisse ministerio ad illuminandas perditorum hominum

* *Reg. past. p. 1. c. 2.*

num mentes, ad corda allicienda, ad avertenda pericula, ad malam depellendam voluntatem, bonam vero creandam, inducendamque. Quod si sacrum Ministerium in vituperio est et contemptu, divinum verbum, experientia docente, aut prorsus non excipitur, aut acceptum despiciendo suffocatur. Hinc homines, quorum sensus in malum proni sunt ab adolescentia, nullo adhibito fræno in præceps ruunt miserrime. Nam terrenis immersi deliciis in voluptatibus putrescunt, ac retuso conscientiæ stimulo ut liberius vivant ita sensim a fide deficiunt, ut animorum immortalitas, atque adeo ipsa Dei negetur existentia, aut si forte existat Deus, nihil de humanis sit sollicitus.

Deflet amarissime hæc tanta, et tam gravia mala Ecclesia Mater suo in sinu serpentia; et eo magis dolet, quod multos filios, quos bonis ipsa suis enutrit, a quibus propterea illud expectat, ut doctrina et exemplo populos in viam dirigant justitiæ, Deo efficiant acceptabiles, et bonorum operum sectatores, intelligit sibi ipsis pravis moribus eam labem inurere, quæ divini verbi vim omnem hebetet, atque perstringat, quæ vocem virtutis, vocem, quæ alioquin vel ipsos cedros confringeret, debilitet plane, atque enervet. Quare et amanter, et ardenter illud ad aures uniuscujusque nostrum illud ingeminat quod alias audivimus: * *Sit doctrina vestra medicina spiritualis populo Dei, sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Dei*. Equidem si Apostolo præcipiente quisquis Christum sequitur, Christi bonus odor esse debet in omni loco, quanto magis eandem odoris suavitatem diffundere debent, qui quo primum tempore famulatui se addixerunt Ecclesiæ, illud publice professi sunt non aliam hæreditatis partem sibi eligere, nisi Deum, cujus honorem et gloriam omni nisu in se ipsis atque in aliis promovere nunquam cessabunt.

Quapropter lætari me oportet maxime, vobiscum autem gratulari vehementer, quod huc eo animo conveni-

* Pont. Roman. de Ord. Presb.

veni-

venistis, ut renovato mentis vestræ spiritu non modo Ecclesiæ Matri abstergantur lacrymæ, et amoveatur dolor, sed ea etiam lætitia ipsa afficiatur, quam peroptat summopere, nempe, ut ardentius quam antea certam vestram vocationem facientes diligenti Synodalium Constitutionum custodia et vestram, et aliorum operemini salutem. Ergo primum mihi illud dicam, et unusquisque vestrum sibi dictum idem deinceps reputet, quod Sanctissimo viro Timotheo intonabat Paulus: * *attende tibi, et doctrinæ, insta in illis.*

* 1. ad Tim. 4. v. 16.

Quid vero aliud est primum hoc: *attende tibi*, nisi propriæ sanctitati incessanter, et accurate ita insistere, atque in illis ita perpetuo versari, quæ ad Ecclesiastici Ordinis dignitatem, verumque decus pertinent, ut nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum mores nostri præseferant; immo quotidie nova quædam virtutis accessio, novus quidem sanctitatis splendor in iisdem affulgeat? At doctrinæ nomine quid sibi Apostolus velit id per vos ipsi intelligitis, studium videlicet Christianæ Religionis, quam qui penitius noscit, ferventiori animo amat, colit, veneratur, qui ignorat corde corrumpitur et mente, qui vero superbe scrutatur languet circa quæstiones, pugnat verbis, errat a fide, et ab omni deficit veritate. In eo autem præcipue studium hujusmodi positum est, ut sacras literas versemus assidue, et reverenter: sunt enim vero fontes uberrimi, qui cuique patent ad hauriendam aquam salientem in vitam æternam; sunt præterea illa lux splendida, quæ errorum tenebras dispergit, veritatis fulgore mentes illustrat, animos igne charitatis inflammat. *Omnis* quippe *Scriptura*, eodem Apostolo teste *, *divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Nihil igitur antiquius nobis sit, quam ut de virtute in virtutem euntes ascensiones in corde nostro disponamus, nihil jucundius, quam ut in le-

* 2. ad Tim. 3. v. 16.

lectionem Sacrarum Scripturarum diu noctuque incumbat mens nostra: ex quo illud præterea fiet, ut sententiam condemnationis illam terroris plenam certissime evitemus, quam per Prophetam tulit Omnipotens, repellendos videlicet eos esse, ne Sacerdotio fungantur Deo, qui a se Dei scientiam repulerint. Et merito quidem; nimis enim iniquum est, ac turpe sacram suscepisse militiam, et aut nolle in statione consistere, aut quæ sunt reliqua ejusdem militiæ detrectare.

At proh dolor! Nihil est tam sanctum, tam rectum, quo ingeniorum effrænis libido non abutatur. Codex ille sanctissimus, Dei Omnipotentis litera, quæ sanctitatem, et veritatem ubique redolet, ab illis, qui superbia inflati plus volunt sapere, quam oportet, ad hæreses confirmandas, ad errores promovendos, ad excitandas novitates per summam impietatem traducitur. Neque enim aut est, aut fuit unquam hæreticus aliquis homo, qui sanam non sustinens doctrinam, et a veritate auditum avertens, Sacra Scriptura tamquam scuto non se satis tutatum falso, ac stulte existimaverit. Est id proprium eorum, qui confidentes nimium ingenio quisque suo traditiones, ac doctrinam Patrum despiciunt, principem autem, et Apostolicam Ecclesiam, quæ veritatis columna est, et firmamentum, nec sequuntur, nec reverentur. Nos vero, Ven. Fratres, Filii dilectissimi, nos inquam intellectum captivantes in obsequium fidei non alia ratione divinum interpretabimur verbum, nisi ad unanimem Patrum sententiam, qui Apostolicis traditionibus constantissime inhærentes, eas fideliter scripto tradiderunt, docueruntque quo sensu loquuti sint Prophetæ, et Sancti Dei divinitus inspirati. Consulendi itaque Patres, adeunda Concilia, Canones, seu Regulæ Ecclesiasticæ perpendendæ; nec ab hisce vel latum unguem discedamus oportet, ut in fide firmi esse possimus, et in scientia perfecti.

At enim: vix ac ne vix quidem brevis hominum vita

vita sufficit ad hæc peragenda. Præsto tamen nobis est Apostolicarum Traditionum fidissima Custos, cui datum etiam illud est, ut omnes Ecclesias peculiares in fide confirmaret, atque in morum doctrina, videlicet Romana princeps Ecclesia, cui semper præest in Successoribus, in quibus et loquitur ille Petrus, in quo tamquam in immobili Petra suam fundavit Christus Ecclesiam. Huic ergo adhæreamus invictissime, hanc sequamur perpetuo, quæ illa probat probemus et nos, quæ respuit respuamus: erit illa nobis inter tumentes quæstionum novarum fluctus salutis anchora, erit portus tutissimus, in quo quieti, et tranquilli Sanctorum scientia perfruamur ad nostrum, aliorumque profectum.

Qua quidem scientia et doctrina cum morum gravitate ac sanctitate conjuncta eo nunc magis præcellere omnes debemus, quod in tanta hac temporum perversitate, in tanta errorum colluvie, in tanto vitiorum cumulo oportet nos bella Domini præliari ad conterendos Religionis hostes teterrimos, quorum ea et effrons, ac vafra indoles, ut verborum lenociniis incautos decipiant, excitentque, omni posthabita verecundia, ad puriora rejicienda dogmata, ad leges tum Divinas, tum Ecclesiasticas contemnendas et proculcandas, dicentes bonum malum, malum bonum. Illud præterea dolentes audivimus eo audaciæ interdum progredi hujusmodi seductores, ut non vereantur disputationes inire fraudolentas, seque in Magistros veritatis, atque innatæ libertatis extollere ac prædicare coram indoctis, ut discipulos sibi alliciant, sectamque impiorum efficiant ampliorem. Temeritatem hujusmodi quis ferat Christianorum? Sacerdotum autem, ac reliquorum, qui Ecclesiasticæ militiæ dato nomine divinum honorem vindicare debent, quis eam omni nisu reprimere, et contundere non conabitur? Illi vero, quos invigilare pro suo munere oportet rationem reddituros pro animabus, quas habent concreditas, an non neces-

se

se prorsus est, totis viribus contendant ejusmodi pestem a finibus ovium suarum avertere, ejicere, profligare? Atqui hæc omnia sine vera pietate, morumque integritate, sine intima dogmatum cognitione, scientiaque divinæ legis perfici nullo possunt modo. Tanto igitur magis splendeamus necesse est nos moribus sanctissimis, ut qui ex adverso est vereatur nihil habens mali, quod nobis objiciat; plena autem Religionis scientia præditi simus, ut non modo alios docere, sed veritati repugnantes redarguere etiam, revincere, atque ab errorum tenebris ad veritatis lucem reducere valeamus.

Fuit magna semper in existimatione doctrinæ apud exteros Bononiensis Clerus, ut qui innutritus lacte ejus Matris, quæ studiorum Mater jure appellata est. Non ergo dubitandum, quin acquisitum a Majoribus decus Clerus nunc temporis non modo velit sibi sollicite retinere, verum etiam studeat diligenter illud augere gravioribus atque Ecclesiæ dignis studiis, Sacræ nimirum Scripturæ, Patrum, Conciliorumque, animum accuratissime adjiciendo.

Quæ dum dicimus, Ven. Fratres, non quasi querelas instituimus: plurimos enim hoc ipso in loco jucundissime amplectimur et apprime doctos, et nominis etiam celebritate claros, sed eo dicimus, ut currentibus addamus stimulos, quibus vester concitetur zelus ad adolescentes hosce dilectos filios in Sanctorum scientia erudiendos; hi vero monitis, atque doctrinis vestris tamquam facibus inflammati exardescant ad æmulanda illa meliora charismata, quibus Vos illis prælucetis.

Propius jam vero ad sacrorum Rituum præscripta accedamus ad Synodi celebrationem.

CON-

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

De Catholica Fide.

I.

QUum multa sint, quæ sollicitudinem nostram exacuant et incendant, illud certe præcipuum est, ut Sancta, Apostolica, Catholica Fides pura, incolumis servetur, et ne ulla impiorum hominum injuria et pravitate violetur. Etenim *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire*, ait Tridentina Synodus (1). Hæc autem Fides tamquam scutum est (2), quo præliantium potestatum ignita tela depellimus. Hac qui caret, stultus, miser, jumentoque similis est, ut ait divus Joannes Chrysostomus (3). Hæc Fides, quam sincero animo profitemur, prædicamus, et tuemur, illa ipsa est, quam Christus docuit, quam promulgarunt Apostoli, quam confirmavere Concilia, quam sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Mater, et Magistra perpetuo tenuit, quam sancta Tridentina Synodus sanctissimis legibus, et institutis munivit, et sepsit, quam denique sanctissimi, et vigilantissimi hujus Ecclesiæ Præsules a primis temporibus ad hæc nostra sedulo servatam, incorruptam, atque integram nobis demandarunt.

(1) *Sess. VI. Cap. VIII.*
(2) *Ad Ephes. VI.*
(3) *Hom. VIII. in Epist. ad Rom.*

Equidem nullo non tempore Satanæ artibus, et perditorum hominum malitia impetita Fides fuit; sed certamen forte dedit ei Deus, ut vinceret. De suo tempore conquerebatur divus Joannes Chrysostomus (1), Ecclesiam a sua præstantia, et dignitate, quam primis temporibus obtinuerat, excidisse, eamque comparabat Matronæ spectatissimæ, quæ quum senuerit, dolore quodam concepto in amissæ juventutis ornamenta intenderet. Quod multo majori ratione de nostris temporibus est dicendum, et ob tantam temporum diuturnitatem, et ob incredibilem Ecclesiæ, et rectæ Fidei oblatrantium inimicorum multitudinem, quæ adeo excrevit, ut, nisi præclara illa Salvatoris nostri promissio consolaretur atque firmaret, qui se adeo stabile Ecclesiæ suæ fundamentum posuisse adfirmavit, ut portæ Inferi eam oppugnare et perdere numquam possint, verendum esset, ne hoc tempore tot machinis concussa, tot hostibus undique obsessa, occasum passura esset. Sed perpetuæ sint Deo clemensissimo grates, qui hanc Ecclesiam Bononiensem tot præsidiis ornavit, tot ei contulit eximios Pastores doctrina, et religione præclarissimos, qui divinum Fidei depositum, ceu pretiosam hæreditatem diligentissime conservarunt, sanamque etiam disciplinam nobis tradiderunt, adeo ut Ecclesia Bononiensis illud psalmi (2) sibi usurpare jure possit: *funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi*. Quamobrem, quum nobis hæc ipsa Ecclesia administranda sit data, nihil antiquius habemus, quam ut ejus pulchritudo, et decor omni ex parte servetur, et in perpetua quadam, quasi pastorali vigilia consistamus, ne Fidei sanitas ullo modo labefactetur.

(1) *Homil. XXXVI. in Ep. I. ad Cor.*

(2) *Ps. XV. v. 6.*

II.

Itaque quum dicat Apostolus (3): *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*: Curatores animarum in eo primum elaborare debent, ut

(3) *Ad Ro. X. 10.*

ut in omnium corde firma, et stabilis Fides permaneat, et id ratum et certum habeant, quod a Deo traditum esse sanctissimæ Matris Ecclesiæ auctoritas comprobarit. Serpit enim malum infinitum, manatque in dies latius, ut plures in sinu Ecclesiæ educati, ab ea, quam a primis annis acceperunt, Fide aberrantes, et si exterius pœnarum metu compressi non valde se prodant, in corde tamen Fidem abnegent, vanis perplexitatibus irretiantur, et putantes se esse sapientes stulti fiant. Omnium miserrimi hi sunt, qui, quum nulla ipsis scintilla veritatis affulgeat, in tenebris ambulant, et innumerabilium peccatorum situ, et fœditate tabescunt. Neque in hanc sanctæ Fidei jacturam incidunt, nisi magno peccatorum pondere traducti, quorum mentes angustæ, humiles, pravæ, oppletæ tenebris et sordibus splendorem Fidei nec intueri, nec sustinere diu potuerunt.

Idcirco ii omnes, quibus animarum cura commissa est, persæpe doceant, quanti faciendum sit Fidei donum, et quam nefarium crimen sit, Spiritus Sancti opus extinguere, et perdere: excolendum illud esse morum honestate, et fuga vitiorum, ut charitatis præsidio firmatum, et roboratum sit: Dei verbis firmissimum assensum esse præstandum, et ideo nos fideles vocari, quod sine ulla dubitatione dictis credamus, et nihil dubitemus, ut ait divus Joannes Chrysostomus (1): Qui vel unum Fidei articulum non credunt, eos omnem Fidem amittere, sicut uno tantum gravi peccato tota deperditur charitas, ut docet divus Thomas (2): Quin et sola unius articuli dubitatione voluntate suscepta, Fidem corrumpi: tantam vero esse hujus criminis gravitatem, ut deficere a Fide peccatorum maximum dicatur ab eodem sancto Doctore (3), et peccatum remissionis incapax, non quod ex Dei misericordia remitti non possit, sed quod difficilioris remissionis, et curationis sit, ut pote in Spiritum Sanctum patratum (4).

(1) *Hom. I. in I. ad Timoth.*

(2) 2. 2. Q. *V. Art. III.*

(3) 2. 2. Q. *X. Art. III.*

(4) 2. 2. Q. *XIV. Art. III.*

Doceant præterea quædam esse Mysteria, quæ implicite credere non satis sit ad salutem, idcirco nedum credendum de Deo esse firmissime, *quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (1); sed esse de necessitate salutis necessarium explicite credere Mysterium sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis, et Passionis, et Resurrectionis Christi (2): atque adeo nullo tempore intermittant hæc sacrosancta Mysteria exponere, et inculcare.

Ne vero Fidei ardor defervescat, repetitis sæpe actibus Virtutum theologicarum est restaurandus, quos qui longa temporis intercapedine renovare negligat, gravi se crimine obstringit, ut ex Ecclesiæ sanctionibus constat (3). Quare diebus festis de præcepto nedum Parochi, sed et alii Sacerdotes in Ecclesiis subsidialibus, atque in Oratoriis a parochiali Ecclesia mille passibus dissitis horum actuum formulam in calce Synodi (4) appositam sic ad verbum distincte, et expresse pronuntient, ut a populo exaudiri, et repeti possit (5). Quod si hoc facere prætermiserint, non patiemur absque animadversione negligentiam hujusmodi elabi. Ii vero, qui pie et religiose hos actus frequentabunt, præter Fidei constantiam, qua munientur, Indulgentias quoque lucrabuntur a sancta Sede impertitas, quæ in calce Synodi adjunguntur (6). Sed videant animarum Curatores, ne populus sit ut *Ephraim vitula docta diligere trituram*, ut est a Propheta dictum (7), et præter verborum sonum nihil intelligat, nihil sapiat, et labiis Deum honoret, cor autem eorum longe sit. Imbuant igitur eum diligenter, quid de Deo sit credendum, et cur credendum, quid, et quare a Deo sit sperandum, et quid in Deo sit diligendum, ut quasi a cortice verborum in intimam sensuum quasi medullam penetrare possit.

(1) *Ad Heb. XI. 6.*

(2) *D. Tho. 2. 2. Q. II. Art. VII. & VIII.*

(3) *Propos. damnat. ab Innoc. XI. & Alex. VII.*

(4) *Appen. N. I.*

(5) *Bened. XIV. Notif. V. Vol. IV.*

(6) *Appen. N. tod.*

(7) *Osee X. v. 11.*

III.

Quia vero *ore fit confessio ad salutem*, ut negare

gare Fidem numquam licet, ita eam exterius profiteri aliquando debet homo catholicus (1) vel ad honorem Fidei tuendum, vel ad parendum sanctissimis Ecclesiæ legibus. Nos ipsi dum Synodalis conventus haberetur, ut faciendum Episcopis commendat Benedictus XIV., (2) exemplo præivimus, et ex consueta formula coram adstantium Sacerdotum cætu, atque cum illis Fidei professionem emisimus. Qui vero ad Dignitates, et Canonicatus in nostra Metropolitana evehuntur, omnino obtemperare debent Synodo Tridentinæ præcipienti, (3) ut ne dum coram Nobis, vel Vicario nostro Generali, sed etiam in Capitulo Fidei professionem emittant. Provisi etiam de Beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus coram Nobis, vel Vicario nostro ad eamdem habendam Fidei professionem tenentur. Hi autem omnes intra duos menses a die adeptæ possessionis id perficiant, alioquin fructus suos non facient, nec illis possessio suffragabitur. Sub quibus pœnis Ecclesiarum, seu Militiarum Commendatarii, etiam sub quovis titulo, se obligatos esse noverint ex Constitutione Pii IV. (4)

Mandamus quoque, ut ii omnes, qui Beneficium simplex consecuti sint, vel Canonicatum in Ecclesia Collegiata, eamdem publicam Fidei testificationem promant. Nullus præterea (5) ad audiendas Confessiones, vel ad divinum Verbum faciendum electus, sive Regularis, sive Sæcularis sit, admittatur, qui, ut primo pro tanti operis ministerio fuerit approbatus, Fidei professionem aliquando coram Nobis, vel Vicario Nostro non emiserit. Eamdem quoque ad formam Constitutionis Pii IV. (6) sub pœnis in ea contentis sacræ Theologiæ, Juris Cæsarei vel Canonici, Philosophiæ, vel Medicinæ laurea decoratis, et omnibus instruendæ juventutis in aliquod magisterium vocatis omnino faciendam præcipimus. Procuratores item, et Notarios nostri Tribunalis pro causis sanctæ Inquisitionis ad ipsam obligamus (7). Qui ex harum legum præscripto nondum Fidei

(1) *D. Tho 2. 2. Q. III. Art. II.*

(2) *Lib. V. De Synod. Diœces. Cap. II. §. IV.*

(3) *Sess. XXIV. Cap. XII. de Reform.*

(4) Injunctum nobis id. Nov. 1564.

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. I. Et Synod. Hieronym. Column. Lib. I. C. I.*

(6) In sacrosanctæ. *Idib. Novembr.* 1564.

(7) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. C. I.*

Fidei professionem emiserint, intra duos menses ab hac Synodo elapsos omnino perficiant. Erit autem nostri Cancellarii Archiepiscopalis in libro ad id comparato, eorum omnium describere nomina, qui eamdem professionem ex stata formula emiserint, adjectis patria, loco, et tempore, et gradu singulorum. Si qui vero vel propter longinquitatem locorum, vel aliis difficultatibus præpediti a Nobis facultatem obtinuerint, ne ad Urbem accedant, hi coram Vicario foraneo, et testibus Fidei professionem enuncient: foranei vero Vicarii intra mensem ab eo actu peracto Cancellario nostro de scripto testimonium exhibeant, quo illos omnes suo munere perfunctos doceant.

I V.

Sed quantus est impiorum hominum furor, et intollerabilis petulantia, ut externam Fidei professionem extinguant, et deleant? Crescit in dies singulos hostium Ecclesiæ, et Fidei numerus, ut illud divi Joannis Apostoli omnino contingat (1): *nunc Antichristi multi facti sunt*. Hi erroneas, hæreticasque opiniones, si facilem aditum inveniant, alienis auribus insussurrant, et disseminare pergunt, et Ecclesiæ amantissimæ Matris perduelles, et ingrati illam oppugnare non desinunt: ejus leges, et auctoritatem contemnunt, jejunia parvipendunt, sacros ritus despiciunt, Sacramentorum frequentiam irrident: quumque nullam habeant, vel admodum exiguam Dei et divinarum rerum notitiam, et solas voluptates expendere atque æstimare sciant, effrænata audacia de rebus gravissimis disputare sibi arrogant, suoque ingenio dimetiri præsumunt: atque adeo omnem veritatis semitam derelinquunt: *animalis homo*, ait Apostolus (2), *non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi; et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*. Et plane *indignum rationem Fidei humanis committi ratiunculis agitandam, quam tam certa ac stabili veritate constat esse*

(1) Epist. I. Cap. II. 18.

(2) I. Corin. II. 14.

esse subnixam ait divus Bernardus (1). Nunc autem res eo adducta est, ut sanctissima Fidei dogmata a Christo Domino lata, ab Apostolis promulgata, sanguine tot Martyrum confirmata, tot prodigiis illustrata, a tot Viris sanctissimis transmissa, tanta sæculorum diuturnitate et consensione corroborata, in tantam lucem deducta, muliercularum, et ganeonum, et otiosorum, qui unguentis nitent, impurissimis vocibus obfuscentur, et discerpantur.

Quorum furiosi impetus sunt retundendi, insanique conatus propulsandi, ut obstruatur os loquentium iniqua, ne simplices et debiles, *ceu parvuli fluctuantes* (2) *circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Quare in hoc evigilare debet Parochorum cura, et labor, ne ullus seratur infensus Fidei error: si vero quempiam deprehendent, qui hæretica verba, vel quæ hæresis suspicionem faciant, proferat, hunc gravissime increpent, et omni studio contendant, ne imposterum has pestiferas opiniones ad aliorum aures effundat, et jam evulgatas diluant, atque confringant: deinde vel Nobis, vel hæreticæ pravitatis Quæsitoribus quantocius eos deferant. Persæpe moneant omnes Christifideles, ad quos hujus criminis notitia pervenerit, eosdem, nullis exceptis nec Regularibus, nec aliis quibuscumque, teneri perperam de Fide loquentes denunciare: qui refractarii id facere prætermittent intra unius mensis periodum, ipso facto anathemate Summo Pontifici reservato illigari. Hinc Concilium primum Provinciale Bononiense prudentissime præcipit Parochis (3), ut saltem singulis annis Edictum de hæreticis denunciandis promulgent. Quod omnino a Parochis observari volumus in populi frequentia, et intra Missarum solemnia (4).

V.

Verum hanc tam adultam Ecclesiæ pestem alit et fovet, estque veluti ulceri unguis, incredibilis venenatorum

(1) *Epist. CXC. Edit. Mabill.*

(2) *Ad Eph. IV. 14.*

(3) *Tit. De Haret. denunciand.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. 2. Et Hieronym. Column. Lib. I. Cap. I.*

torum libellorum multitudo, quæ ubique pervadit. De impiis Petri Abaelardi libris summo dolore occupatus ajebat Guillelmus Abbas (1): *quum Fidem communis spei graviter nimis, et periculose corrumpi video, nullo resistente, nullo obloquente, quam Christus suo nobis sanguine sacravit, pro qua Apostoli, et Martyres usque ad mortem pugnaverunt, quam sancti Doctores duris laboribus suis et magnis sudoribus defensam, integram, et incorruptam usque ad fæces temporum nostrorum transmiserunt, contabesco in memetipso, et a frixura cordis, et dolore spiritus cogor pro ea loqui, pro qua, si necesse esset et opportunum, vellem etiam mori. Nec de minimis agitur; sed de Fide sanctæ Trinitatis, de Persona Mediatoris, de Spiritu Sancto, de gratia Dei, de Sacramento communis Redemptionis... Et libri ejus transeunt maria, transiliunt alpes, et novæ ejus sententiæ de Fide, et nova dogmata per Provincias, et Regna deferuntur, celebriter prædicantur, et libere defenduntur.* Hoc eodem dolore compungimur, quum tantam infamium libellorum copiam irruere undique videamus. Hi Alpes trajiciunt, immo vel in ipsis Italiæ visceribus conflantur: mendaciis, dolosisque argumentis referti sunt: verborum pigmentis, et calamistris ad legendum alliciunt, et speciem pietatis præseferentes, incredibile est, quam facile incautos et simplices infatuent, atque decipiant. Hi fœminarum manibus teruntur, ab ignaris lectitantur, summis laudibus evehuntur, et errores perniciosissimos invehunt, latiusque patet illius sceleris contagio, quam quisquam putet. Neque de minimis agunt, sed de Ecclesiæ potestate abjicienda, de Summi Pontificis jurisdictione amputanda, de Cælibatu propulsando, de tollerandis quibuscumque Sectis, de extinguenda æternæ vitæ Fide, de delenda animi immortalitate, de adæquanda cum brutis hominum conditione, deque Dei Optimi Maximi justitia abolenda per summam impudentiam disserunt. Hos qui legunt, verborum

(1) *Inter Epist. D. Bernard. Ep. CCCXVI. Edit. Mabill.*

borum lenociniis capti, et nugacibus ratiunculis illaqueati, cæcos duces sequentes, tenebris errorum perfusi, ad malitiam misere docti, Fidem catholicam in disceptationem conjiciunt, et alios in errorum, et insaniæ societatem arcessunt, Fideique bellum indicunt, ut illud divi Hieronymi usurpare liceat (1): *hanc garrula anus: hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant*: ut illud verissime dici possit, nullum esse malum Scriptorem, qui non pejorem aliquem Lectorem inveniat.

Hanc tantam animarum cladem ferre nullo modo possumus, et omnium Sacerdotum, et præcipue Parochorum vigilantiam excitamus, ut dent operam, ne quis hos pestilentissimos libros de aliis regionibus afferat, ne vendat, evulget, aut legat, aut temere apud se retineat, ne illis quidem exceptis, quorum lectio ecclesiastica sanctione non sit vetita, sed naturali tamen jure interdicatur, quod Fidei, vel morum integritati nocere possit. De hac tanta calamitate jam doluerat Clemens XIII. P. M. (2), etiam in regionibus catholicis *excudi*, *atque vulgari libros*, *quibus perversi homines limpidos*, *et illimes credendi fontes corrumpere*, *et Religionis fundamenta convellere*, *in ipsam Petri Cathedram irruere*, *et consecratas tot sæculorum consensu traditiones labefactare conantur*. Exinde tamen incendium extinctum non est; sed in immensum succrevit. Quod ne in dies magis augeatur, sancimus juxta decreta Concilii Lateranensis V., (3) ac Tridentini (4), nec non Bononiensium Synodorum (5), sacræque Congregationis Indicis regulas, ne librorum Impressores quidpiam tacito, vel ementito prælo imprimant, neve lucubrationes ullas cujuslibet generis, aut effigies, easque cum profanas, tum sacras imprimendas suscipiant, quin prius facultatem ab iis, ad quos spectat de scripto obtinuerint. Iidem, et Bibliopolæ prohibitos libros ne venales exponant, nec habeant apud se, nec aliis tradant, nec vendant: Indi-

(1) *Ep. LIII. Edit. Vallars.*

(2) *In Encycl.* Christianæ Reipublicæ.

(3) *Sub Leo. X. Sess. X.*

(4) *Sess. IV. In Decret. de Edit. et usu Sac. Lib.*

(5) *Concil. Provin. I. Tit. de Libris Prohib. Et Jacob. Boncomp. L. I. C. II.*

cem Romanum recens editum apud se retineant: Edictum nostrum generale in calce Synodi (1) appositum affixum teneant in Bibliothecis; aliter pœnis in eo contentis graviter animadvertemus. Caveant vero negotiatores ex aliis regionibus sordidas has librorum merces advehere, ne pecuniam de mammona iniquitatis corripiant. Nam Canones, et Apostolicæ Constitutiones, ac suprema sancti Officii Congregatio gravissimas adversus sceleratum hoc mercimonium sanxere pœnas, quod maximum ex hisce libris periculum impendeat, ut sapientissime Benedictus XIV. binis Constitutionibus prospexit (2). Ceterum unusquisque præbere se debet ut strenuum Christi militem, ut sancti Patres sæpe loquuntur, dum de Fidei custodia agitur, omnesque tenentur ejus jura defendere, et illa omnia removere, et odisse, quæ illam quoquo modo violant.

(1) *Append. N. II.*

(2) *Constit.* Catholicæ Religionis. *Et Constit.* Sollicita ac provida.

CAPUT II.

De Hæreticis, et Judæis.

I.

Nihil est autem Fidei exitiosius, et infensius, quam hæreticorum consuetudine uti, nulla adhibita circumspectione. Quare carissimis Filiis nostris, quos in Fide stabiles, et obfirmatos vehementer desideramus, illud in memoriam revocamus, quod de hisce ait divus Joannes Apostolus (3): *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis.* Et illud Apostoli Paulli (4): *hæreticum hominem post unam, et alteram correptionem devita: sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Ipsi Apostoli, et eorum discipuli, ut testatur divus Irenæus (5), Fidei satores, et invicti propugnatores adeo consuetudinem

(3) *Epist. II. ver.* 10.

(4) *Ad Tit. III.* 10.

(5) *Lib. III. contra Hæres. C. III.*

dinem hæreticorum pertimescebant, ut ne verbo quidem tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem. Mosque erat veterum Christianorum, eodem testante (1), ut si quis aliquid eorum enuntiasset, quod ab hæreticis adinventum fuisset, statim aures obstruerent, et procul aufugerent. Ab omni itaque colloquio, congressuque hæreticorum abstineant filii nostri. Quod si ex humanitatis officio recusare id non possint, justisque etiam de causis eosdem hospitio excipere debeant, caveant, ne per eam consuetudinem labes aliqua Fidei contrahatur (2). Qui vero, necessitate flagitante, illuc commeare debeant, ubi catholicæ Religionis usus publice interdicitur, meminerint Constitutionis a Clemente VIII. editæ (3), prohibentis ibi habitare, vel domicilium tenere, ubi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote catholico non existat, in qua libere, et sine omni periculo, palam et publice celebrari, et audiri possint sacrosanctæ Missæ, et alia divina officia, et conciones, ac Sacramenta ecclesiastica ministrari, mortuorum corpora sepeliri, et cetera fieri juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ: utque iidem abstineant a matrimoniis cum hæreticis mulieribus, et ab hæreticorum sepulturis: filios suos de sacro Fonte levari per hæreticos non permittant, nec ipsi vicissim hæreticorum filios, nisi per catholicum Sacerdotem catholico more baptizentur, levare præsumant: medicorum quoque hæreticorum opera, necessitate cessante, et ubi adsit copia catholici medici idonei non utantur. Habenda etiam ante oculos est altera Gregorii XV. Constitutio (4) vetantis, ne ullus hæreticus in locis Italiæ, et Insularum adjacentium, neque etiam sub commercii, mercimonii, aut alio quovis prætextu domicilium contrahere, seu domum apertam habere propriam, vel conductam, aut gratis concessam, seu habitare, aut morari possit: qui vero hæreticos prædictos receptaverint, favorem, opem, seu auxilium præbuerint, uti fautores,

(1) *Ibid. Cap. IV.*

(2) *Synod. Jacob. Bencomp. Lib. I. Cap. II.*

(3) *Anno 1596. quæ incip.* Cum sicut.

(4) *Edita anno 1622. quæ incipit* Romani Pontificis.

et receptores hæreticorum habendos esse. Veruntamen quicumque justis de causis in consuetudinem hæreticorum se det, omnino devitet sermones, et disputationes de rebus ad Religionem, et Fidem spectantibus: si vero eisdem mensam apparent, cibos tantum apponant, qui certis diebus Ecclesiæ præcepto non prohibeantur (1).

(1) *Sinod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. II.*

II.

At perfidum Judæorum genus, Christo Domino inimicum, huc illucque ad verbi Dei confirmationem dispersum, sollicitudinem nostram requirit, ne eorum morbosa contagio aliquem ex nostris attingat. Hi in Urbe Centi Diœcesis nostræ versantes, aliique ejusdem generis in Diœcesim nostram ventitantes signum deferant, quo ab aliis internoscantur ex Pontificiarum Constitutionum norma (2): neque audeant umquam ad Monasteria accedere, vel ad eas domos, in quibus fœminarum contubernia sint, sive vendendi, sive emendi causa, nisi a Nobis, vel a Vicario nostro Generali potestas sit facta. Qui in ditione Centensi degunt, illa omnia servabunt, quæ ipsis in Edicto (3) ad calcem Synodi inserendo, imponentur. Qui minime pareant, pœnas ibi constitutas luent, in quas offendent præcipue, si diebus festis de præcepto opera servilia publice exercuerint, aut contractus iniverint. Si ad hanc nostram Civitatem advenerint, ultra triduum ne moram producant, neque in aliud diversorium commigrent, quam quod eis est constitutum (4). Caupones vero, dum eosdem ad diversandum excipiunt, ab iis cubiculis, quæ ipsis destinata sint, sacras Imagines auferant, et omne id, quod sit cum Religione conjunctum, ne ab hisce nefariis hominibus in contemtum, et contumeliam adducantur: iisdemque mandamus, ut si ultra triduum commorati fuerint, Nos certiores faciant, secus pœna pecuniaria multabuntur.

(2) *Paulli IV. Sancti Pii V. Benedicti XIII.*

(3) *Append. N. III.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. II.*

Nostri vero omnes sciant, se cum iisdem cautissime

me habere debere, ne catholica Fides ex ipsorum societate detrimentum capiat. Nullus ex nostris cum Judæis inhabitet, aut eis servitutem præstet, prout in tertio Lateranensi Concilio sancitum est (1). Qui secus fecerit, excommunicatione ferietur. Nemo ad eorum convivia, nuptias, vel dies festos, et Synagogas accedere audeat: neque cum illis ludat, vel quod est detestabilius, choreas agat, neque cibum apud eos capiat. Nec permittimus, ut christianæ mulieres Judæorum nutrices in ipsorum domibus ullo pacto esse possint, et nisi urgeat necessitas a Nobis adprobanda, ne extra quidem eorum domos. Nec Catholici Judæos medendi causa arcessant (2); nec in connubiis eorumdem opera utantur; nec christianis mulieribus liceat Judæas ornandi se causa adhibere. Caveant omnes diebus festis qualescumque cum iis celebrare contractus: nec ulli fas sit agros et prædia Ecclesiastica Judæis locare; nec vasa, vestes, aliave sacra, vel ad usum Ecclesiæ destinata vendere, aut pignori dare liceat. Qui hæc Decreta infregerit, pecuniaria pœna, aliisque ex arbitrio nostro multabitur.

(1) *Cap.* Nulli *de Judæis.*

(2) *Ex Constit. 68. Greg. XIII. Et ex Synod. Hieronym. Columna. P. III. C. IX. Et Jacob. Boncomp. Lib. IV. C. IX.*

CAPUT III.

De Superstitiosis, et Blasphemis.

I.

Restat nefarium superstitionum genus Fidei catholicæ adversum, in quo exterminando Concionatores, et Confessarii toto pectore incumbere debent. Nullum enim est genus superstitionis, in quo non Diaboli vel implicita, vel explicita invocatio interponatur. Quid autem turpius, quid scelestius, quid luctuosius, quam, ut qui in sortem filiorum Dei adsciti sunt, et Christi Sanguine a Diaboli servitute, gravissimoque jugo soluti, se iterum in ejus potestatem miserrime tradant?

dant? *Quæ conventio Christi ad Belial?* ait Apostolus (1). Nec Christi hæres esse poterit, qui Diaboli imperio se subdat. Non desunt tamen, qui in sinu Ecclesiæ educati et instituti, vel somniis fidem adhibeant, et per ea assequi se posse futura confidant, vel vanis observationibus addicti de eventibus rerum prosperis, aut adversis conjiciant, vel qui cogendæ pecuniæ spe inani lactati atque seducti Diabolo honorem, et reverentiam exhibeant, vel qui ad morbos depellendos verba futilia, et instrumenta adhibeant, quæ quum curandis morbis ex sese non valeant, certam habeant cum Diabolo, detestabilemque societatem, vel aliis mediis utantur, quibus appareat a solius Diaboli interventu effectum aliquem expectare. *Hæc sunt risus*, inquiebat divus Joannes Chrysostomus, (2) exprobrans Christianis hanc insaniam, *et comædia satanica, quæ non ad irrisionem tantum, sed ad gehennam præcipitant eos, qui decipiuntur. Certe, quod apud Gentiles talia fiant, mirum non est; quod autem apud eos, qui Crucem adorant, et Mysteriorum arcanorum participes sunt, et tanta philosophantur, id certe multis lacrymis est dignum.* Nihil vero dementius excogitari potest, quam ab infensissimo humani generis hoste Diabolo beneficium aliquod, aut corporis valetudinem repetere, et expectare, qui de inferenda tantum omnium malorum mole sollicitus est. *Dæmones insidiari sciunt, ac nocere*, ait idem Chrysostomus, (3) *non mederi. Animæ non parcunt, et corporibus parcent? ... Atqui licet mederi velint, ac possint, quod fieri nequit, ob lucellum exigui temporis periculum æternarum pœnarum haud subeundum est. Corpus curabis, ut animam perdas?* Qui maleficiis, sortilegiis, incantationibus, Astrologiæ judiciariæ dant operam, sciant se pœnis severissimis constringi per Pontificum Constitutiones (4). Qui deliras has superstitiones, qualescumque sint, consectantur, tamquam Fidei defectores habendi sunt, sociique Dæmonis: proinde qui noverit aliquem hisce indul-

(1) II. Corinth. VI. 15.

(2) Hom. XII. In primam ad Corinth.

(3) Homil. I. adversus Judæos.

(4) Greg. XV. Omnipotentis. Syxti V. Cæli, et Terræ, et aliis.

indulgere, vel easdem alios docere, intra dies triginta ab habita notitia, Nobis vel Fidei Quæsitoribus obnunciare tenetur (1): alioquin ipso facto excommunicatione reservata implicabitur. Neque enim levis momenti res est, Ecclesiæ filium ad Diaboli castra deficere. Idipsum exigebat idem ipse sanctissimus Præsul divus Joannes Chrysostomus (2), ut sibi nomina eorum deferrentur, qui judaizare deprehensi essent, quod de alia quacumque Fidei defectione intelligendum est. Ajebat autem: *Si quem cognoveris judaizantem prehende: notum fac, ne idem ipse quoque periculum subeas. Nam et in Castris exterorum si quis miles deprehendatur barbarorum, persarumque fautor, non ipse solum capite periclitatur, sed quilibet ejus rei conscius, nec Duci exercitus illum prodens. Quum igitur et vos sitis Christi exercitus, curiose, ac diligenter inquirite, num quis Alienigena vobis sit admixtus, ejusque nomen deferte, non ut pœna, suppliciove afficiamus; sed ut errore, atque impietate ipsum liberemus, penitusque nostrum reddamus. Quod si nolitis, scientesque celetis, easdem vos, quas illi, pœnas daturos esse probe nostis.* Hactenus Ille.

(1) *Edict. Sanct. Inquisit. Vide in Append. N. IV.*

(2) *Homil. I. advers. Judaos.*

II.

Magnus denique nobis inuritur dolor, quod plurium effrons audacia eousque provehitur, ut sacrosanctum Dei nomen ab omnibus creaturis benedicendum, et summis laudibus extollendum, aut etiam Sanctorum cum Deo regnantium (3) impuro, et contaminato ore blasphemare, atque execrari audeant: et quod crimen barbari ipsi vanæ Religionis cultores exhorrescunt, id in veram sanctamque Religionem summa Dei clementia cooptati, Deique ipsius servi, et filii admittant, Deumque contumeliosis vocibus offendant. Quot enim sunt, qui Dei majestatem quotidie imminuere, immo singulis pene horis, ac momentis impudentissime proculcare pergunt? quis non videat omnia imprecationibus, et execrationibus referta esse; usque adeo ut in negotiis gerendis, in lusibus,

(3) *Cath. Rom. de secundo Decal. præcepto.*

sibus, et in omni quotidiana consuetudine Corporis, et Sanguinis Christi, vel Dei optimi maximi nomen sacrosanctum interponatur, et millies vel in re levissima et inani temere usurpetur? Neque enim recordantur hi scelerati divini nominis proditores earum vocum, quibus summus honor divino nomini indicitur (1): *Filius honorat Patrem, et servus Dominum suum. Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?* Et illius praecepti (2): *Non pollues nomen Dei tui.* Nec cogitant sanctum, et terribile Dei nomen invocandum, et laudandum esse, ante cujus conspectum caelestes potestates contremiscunt. *Glorificant, adorant*, ait divus Joannes Chrysostomus (3), *triumphalia, et mystica Cantica perpetuo, et cum multo tremore emittunt, et alii quidem dicunt: Gloria in altissimis Deo* (4): *Seraphim vero* (5): *Sanctus, Sanctus, Sanctus... Cherubim autem* (6): *Benedicta gloria ejus ex loco ejus.* Hi vero viles, abjecti, sordidique homunciones nedum non laudant Deum, sed ei ore faedissimo maledicunt. Cui crimini lenitati jam locus non est: severitatem res ipsa flagitat.

Propositae sunt poenae gravissimae blasphemantibus a Constitutionibus Leonis X. (7); Julii III. (8), et sancti Pii V. (9): immo et ab ipsis christianorum Imperatorum legibus (10). Idcirco omnes Christi fideles, Deum amantes, Deique gloriae studiosi nihil intentatum relinquant, ut teterrimam hanc labem propulsent: evigilent Patres, et Matres familias, herique omnes, ne in ipsorum domibus, et a sibi subditis quidquam proferatur, quod Deo, et Deiparae Virgini, aut Caelitibus sit injuriosum: omnes denique elaborent, ne divina impiorum vocibus in contemptum conjiciantur: peccantes corrigant, coerceant, divinaeque gloriae se vindices exhibeant. Quod quum fecerint, si Confraternitati adscripti fuerint in hunc finem institutae, uberes indulgentiarum thesauros comparare sibi poterunt, quos Pius IV., Pius V., et Benedictus XIV. large contulerunt (11). Parochi

(1) *Malach.* Cap. I. 6.
(2) *Levit.* X. 12.
(3) *Homil.* I. *De Incomprehens.*
(4) *Luca* II. 14.
(5) *Isaia* VI. 3.
(6) *Ezechiel.* III. 12.
(7) *In Concil. Lateran. Sess.* IX.
(8) *Constit.* 23.
(9) *Constit.* 5.
(10) *Authent.* Ut non luxurientur Homines. *Novell.* 77. *Et Carl. V. Const. Crimin. Art.* 106.
(11) *Appen.* N. V.

chi vero urgeant, instentque summo studio, ut populus sceleris gravitatem agnoscat, et illud vehementer detestetur. Ostendant blasphemiam tam atrox, et immane crimen esse, ut doceat divus Thomas (1), peccatum hujusmodi gravius esse homicidio, quod hoc hominem lædat, illud vero divinæ bonitati et honori derogare intendat: deinde ut ad ejus horrorem inducant, ostendant hocce peccatum damnatorum esse proprium (2), atque adeo rem indignam esse, ut qui cives Sanctorum, et domestici Dei esse deberent, reprobatorum sordibus tabescant: et demum calamitates, quibus quotidie obsidemur, magna ex parte ab hoc crimine esse repetendas. Nam si verbi otiosi reddenda est Deo ratio, quas pœnas daturi sunt ii, qui in Deum contumeliosi fuerint?

(1) 2. 2. Q. XIII. Art. III.

(2) Idem. D. Thom. ibid. Art. IV.

III.

Ceterum volumus, ut omnes summam reverentiam præstent sacris libris divinarum Scripturarum, in quibus præcipue Fidei depositum servatur, et iis etiam libris, quibus Ecclesia in sacris Mysteriis, sive officiis utitur, neque, ut ut laceri, et obsoleti, sordidis, profanisque usibus deputentur (3). Præterea fœdis, et inhonestis maculis sacra Scriptura contaminatur (4), quum ejus verba, et sententias, quæ omni veneratione colenda sunt, ad profana quæque nefarii homines torquent, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, assentationes, detractiones, sortes, libellos famosos, et si quæ sunt alia id genus, in quod peccatum sacra Tridentina Synodus animadverti jubet (5), præcipitque, ut temeratores, et violatores verbi Dei juris, et arbitrii pœnis per Episcopos coerceantur. Divus Joannes Chrysostomus (6), verba divinarum Scripturarum temere, et ad scurrilitatem usurpare, rem fulminibus dignam pronunciavit.

(3) Act. Mediol. Conc. Prov. I. tit. II. Decr. XXI.

(4) Catech. Rom. In secund. Prae. Decal. Cap. XXVII.

(5) Sess. IV. ad calcem.

(6) Hom. XVII. In Epist. ad Ephes.

IV.

Jam videtis, Filii dilectissimi, quanti facienda sit Fides, quam sit necessaria, et salutaris, et quot etiam tempestatibus, et periculis, quæ turpis est nostrorum tem-

 porum

porum nota, jactetur; et quam horrendum sit superstitionibus, et blasphemiis illius integritatem polluere. Quare date operam diligenter, ut illam sedulo tueamini, nihil innovantes, nec eos fines transilientes, quos Majores nostri constituere. Nos equidem Dei æmulatione vos æmulamur, ut tamquam Sponsam candore Fidei amictam, et ornatam vos Christo exhibeamus. Vos satagite, ut in hoc sæculo nequam tamquam luminaria luceatis, ut de Philippensibus ajebat Apostolus (1), verbum vitæ continentes ad gloriam nostram in die Christi. Et quoniam Dei beneficentissimi munere hanc catholicam Fidem, ut a Majoribus accepimus, hucusque intemeratam retinuimus, curemus omnes, ut eamdem florentissimam, et suffragiis nostris auctam, et cumulatam ad posteros transmittamus.

(1) *Cap. II. 15.*

CAPUT IV.

De Doctrina Christiana.

I.

QUum autem Fides ex auditu concipiatur (2), perspicuum est, quam necessaria semper fuerit ad æternam salutem consequendam Doctoris legitimi, et fidelis opera, et ministerium: siquidem dictum est (3): *quomodo audient sine prædicante?* Equidem Parochorum, qui animarum Pastores sunt, præcipuum munus est, oves sibi concreditas cœlestis doctrinæ pabulo enutrire, et pascere. Cogitent proinde nihil esse, in quod plus laboris, et industriæ conferre debeant, quam ut omnes sibi commissi in Christi doctrina sint informati, et docti juxta illud, quod futurum prædixerat Isaias Propheta (4): *ponam universos filios tuos doctos a Domino*. Jam Ecclesia singulorum fidelium saluti invigilans ad Sacerdotes, et Parochos conclamare non destitit, ut nullo tem-

(2) *Ad Rom. X. 17.*

(3) *Ibid. v. 14.*

(4) *Cap. LIV. 13. Et Joan. VI. 45.*

tempore intermitterent tam salutare opus christianæ Doctrinæ rudimenta tradendi: nihil frequentius inculcatur, nec observatur utilius. Sancta Tridentina Synodus singulari zelo cupiens Ecclesiam ad veterem splendorem, et dignitatem conformare, præcipit (1), ut omnes, qui animarum curam obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quæ declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant. Et alio in loco Episcopis mandat (2), ut saltem Dominicis, et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis Fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum, et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent. Plenæ sunt singularum Ecclesiarum Synodi, et præcipue Prædecessorum nostrorum, institutis et legibus ad traditionem christianæ Doctrinæ pertinentibus: pleni omnium sapientum hac de re libri, et una Ecclesiæ vox est, enitendum summopere, ut omnes Christi fideles in via domini instruantur.

(1) *Sess. V. Cap. II. de Reform.*

(2) *Sess. XXIV. Cap. IV. de Reform.*

II.

Nos vero, qui singulos curæ nostræ demandatos tanto dilectionis ardore prosequimur, ut quicumque sit vel abjectus, vilis, sordidus, mendicus, et in oculis hominum nullius momenti, hunc eumdem, et singulos perinde diligamus, ac si ipse solus in clientelam nostram esset datus, adeo in corde nostro infixus, et insculptus est, ut nihil flagrantius optemus, quam ut omnes in christiana Doctrina diligenter excolantur. Hos igitur omnes, et singulos Parochis præcipue commendamus, et tamquam filiolos in Christo genitos, et longe carissimos teneris nutricibus in timore Domini educandos tradimus. Equidem Nos, dum Diœcesim universam pro munere

nostro lustraremus, et singulas Parochias inviseremus, nihil potius habuimus, quam ut investigaremus, quæ esset in hac Doctrina tradenda diligentia, et qui fructus. Sed vox nostra nec semper, nec ubique personare, nec ad omnes proficisci potest. Quare in Parochorum sedulitate, et zelo conquiescimus. Igitur illos omnes, quibus animarum cura commissa est, per Christi viscera obtestamur, ut numquam in tam salutari, et necessario opere languescant: pueros, et puellas, rudes, et imperitos ad Dei notitiam deducant, blanditiis alliciant, præmiis invitent, tardos, et hebetes excitent, negligentes redarguant: parentibus, et heris ostendant graviter delinquere, si filios, et famulos ab excipiendis Doctrinæ christianæ præceptis abesse patiantur. Ipsi vero dum huic operi vacant, explanent ea Mysteria, quæ ad salutem scitu necessaria sunt, exponant Apostolorum symbolum, septem Ecclesiæ Sacramenta, Decalogum, Dominicam precationem: et illud frequenter insinuent, fidei bona opera esse adjungenda, charitatem esse legis complementum, ipsamque in omnem vitam, et in cuncta opera vim, et influxum conferre debere. Non illos pigeat se ad vulgi captum demittere, et iterare eadem sæpius, ubi opus sit, ratione non ad ingenii, vel doctrinæ ostentationem, sed ad pietatem promovendam, et ad doctrinam inserendam accomodata. Si quid occurrat sublimius, et explicatu difficilius, e divi Augustini consilio (1), non est satis ea tamquam in involucris ostendere, statimque a conspectu abripere; sed aliquantum immorando oportet quasi resolvere, atque expandere, et inspicienda, atque miranda offerre animis auditorum. Si dubitent in aliquo adulto Fidei præcepta temporis longinquitate esse intermortua, et pene deleta, eadem refricent, ut reviviscant.

Observanda est etiam a Pastoribus (2) audientium ætas, ingenium, mores, conditio, ut omnibus omnia effecti omnes Christo lucrifaciant, ut seipsos fideles ministros, et dispensatores probare possint. Si quem videant

(1) *Lib. de Catechizandis rudibus Cap. III.*

(2) *Catech. Rom. Præf. §. XI.*

deant abjectiorem, et tardiorem, et ex infima plebe, in hunc intendant maxime, majorem a Deo laboris, et charitatis mercedem percepturi, nec quempiam fame perire sinant, neque accidat unquam, ut qui panem petant, non sit qui frangat eis. Nemo autem tam vilis est, quem non summe carum, et pretiosum habere debeant, quippe *vile esse non potest, quod Filii Dei sanguine comparatur*, ait divus Laurentius Justinianus (1). Nullus est autem, pro quo Dei Filius non vitam, et sanguinem largissime profuderit. Quem charitatis fervor exurat, huic erit suave omnem exsorbere difficultatem, quorumdam etiam stultitiam, et hebetudinem perpeti, et tædio assuescere. Hac incensus Apostolus (2) factus est in medio suorum, quos Christo pepererat, tamquam parvulus, et tamquam nutrix, fovens filios suos: *non ergo recedat*, ait divus Augustinus (3), *de pectore etiam cogitatio gallinæ illius* (4), *quæ languidulis plumis teneros fœtus operit, et susurrantes pullos confracta voce advocat, cujus blandas alas refugientes superbi, prædæ fiunt alitibus*. Confidimus Nos, Pastores omnes flagrantissimos in hoc munere præstando futuros, et tantum laboris, et diligentiæ impertituros, quantum rei magnitudo requirit. Quod si qui desides, et languidi hoc munus persequentur, per censuras ecclesiasticas compellemus, non obstantibus consuetudinibus, et privilegiis, quemadmodum Episcopis faciendum esse indicit Tridentina Synodus (5). Atque hæc ipsa Synodus, ut hujusmodi negligentiæ gravitatem ostendat, aliam sanctionem addit, injungens Episcopis (6), ut ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, aliis ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur pœnis, nec non, si ei sic expedire visum fuerit, ex Beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat. Nos sanctæ Synodo obsequentes, non prætermittemus faces stimulosque admovere tanto muneri indormientibus.

III.

(1) *De triumphali Christi Agone Cap. XX.*

(2) *I. ad Thessal. II. 7.*

(3) *Lib. cit. Cap. X.*

(4) *Matth. XXIII. 37.*

(5) *Sess. XXIV. Cap. IV. de Reform.*

(6) *Sess. V. Cap. II. de Reform.*

III.

Itaque animarum Pastores, ut suo muneri faciant satis, omnem curam, operam, et diligentiam ponant, ut christiana Doctrina meliori, qua fieri possit ratione tradatur. Diebus festis, et præsertim dominicis, dato signo campanæ majoris (1) ante vesperas, vel alia hora commodiori invitent populum ad Ecclesiam: constituant homines graviores, qui pueros huc illucque vagantes ad Ecclesiam adducant: pueros, et puellas per classes dividant, et mares a fœminis separatim collocent (2): classibus singulis præficiant peritiores mulieres, et viros, qui tenellam ætatem primis fidei elementis imbuant: cathechesi completa, adolescentuli initis inter se disputatiunculis, de iis, quæ didicerunt, specimen præbeant. Tum ipsi per horam de rebus ad salutem necessariis distincte, dilucide, et enucleate disserant: opportunis etiam digressionibus utentes, quæ moribus componendis prosint, et pravis consuetudinibus evellendis, quæ solent obrepere. Omnino ludos (3), et evagationum materiem prohibeant eo tempore. Hortentur omnes, etiam eos, qui maturiori ætate sunt, ut ad hujus sanctæ disciplinæ informationem conveniant, doceantque neminem esse de rebus divinis adeo doctum, qui non hujus institutionis indigeat, resque divinas ea constare præstantia, et magnitudine, ut numquam satis percipiantur, et semper esse locum majori intelligentiæ; exemplum vero eorum, qui grandiori ætate sint, permultum conferre, ut adolescentes, et pueri incitentur. Bis in anno Indulgentias evulgent (4), prima scilicet Quadragesimæ dominica, et in festo omnium Sanctorum, easdemque legendas publice teneant in Ecclesia (5), frequentantibus pium opus christianæ Doctrinæ a summis Pontificibus concessas: nec omittant sæpe commemorare, quot spiritualium bonorum materies et seges sit, hanc exercitationem tam sanctam frequentare, et alios Fidei mysteriis expolire. Insistant vero, ut de iis, quæ in Ecclesia exceperunt, cum

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. III. Et Bened. XIV. cum Card. Paleott. Notif. IX. Vol. I.*

(2) *Synod. Hieronym. Column. Par. I. Cap. IV. Et Jac. Boncomp. Lib. I. Cap. III.*

(3) *Laud. Synod. ibi.*

(4) *Append. N. VI.*

(5) *Laud. Synod. ibi.*

cum domesticis colloquantur, eorumque memoriam renovent, ne ex animo facile dilabantur.

Quia vero Pastorum vox non semper ad puerorum aures pervenire potest, moneant ipsi Pastores parentes suorum filiorum doctores esse debere, ut a divo Joanne Chrysostomo est dictum (1). Atque illa quotidiana, et perpetua parentum disciplina efficiet, ut audita in Ecclesia verba memoria alantur, et conserventur. Exigant etiam a parentibus, ut a primis annis filios, et filias ad saluberrimam hanc institutionem deducant: omnino vero illos, qui septimum annum attigerunt, jubemus ad Ecclesiam venire, et Christi Domini instituta tradentes audire, nec id intermittere saltem usque ad annum decimum octavum (2). Juverit etiam ad acuendam mentis pietatem cantica quædam spiritualia interponere, quæ vernaculo sermone Fidei mysteria exhibeant: id enim et antiquitus magna cum utilitate frequentatum est, quemadmodum testantur divus Augustinus (3), et divus Joannes Chrysostomus (4). Advigilent etiam Parochi, ut, quando in Sacellis mille passibus a Parochia dissitis sacrum peragitur, Sacerdos ibidem dies festos populo denunciet: sacrum Evangelium explicet, et christianæ legis præcepta illis omnibus explanet, qui ad Missæ sacrificium convenerint (5). Qui hæc nostra jussa detrectaverit, pœnas dabit nostro arbitrio statuendas. Parochi autem, et Vicarii foranei curabunt diligenter, ut Sacerdotes in ruralibus Sacellis rem divinam facientes suo munere perfungantur; sin minus rem ad Nos deferant. Caveant etiam, ne propter functionem aliquam in aliis Ecclesiis etiam Regularium peractam, populus a parochiali Ecclesia, et christianæ Doctrinæ traditione avocetur. A gerendo patrini, et matrinæ munere (6) eos excludant, qui præcipua fidei mysteria ignoraverint. Mandamus insuper (7), ne ulla matrimonia de more promulgent cujuscumque conditionis, aut dignitatis sint futuri conjuges, nisi cum ipsorum voluntas exploratur, fidei rudimenta satis percepisse constiterit.

(1) *Serm. I. de Anna.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(3) *Lib. IX. Confess. Cap. VII.*

(4) *In Psal. XLI.*

(5) *Bened. XIV. Notif. III. Vol. III.*

(6) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi. Et Bened. XIV. Notif. IX. Vol. I.*

(7) *Ibi.*

IV.

I V.

Sed vero, dum Parochos hoc tanto officio imbuendi christianis præceptis populum devinctos volumus, non ideo vetamus, ut alios in subsidium advocare possint cum propter populi multitudinem, tum propter alias interpositas circumstantias, ob quas non semper, nec ubique effundi queat Parochorum sedulitas: quinimmo, quoniam *unicuique mandavit Deus de proximo suo* (1), optamus, ut omnes in rem tam sanctam, et utilem vires, et laborem conferant. Et primo Concionatores sacri, dum e suggestu verba faciunt, persæpe admoneant populum, quanti intersit in scientia salutis proficere, in eaque in dies erudiri, et quot sibi mala concilient, qui ignorantia obcæcati tota via aberrant (2). Confessarii autem meminerint propositionis ab Innocentio XI. proscriptæ (3), in qua absolutionis incapax decernitur homo, qui laboret ignorantia mysteriorum Fidei, et culpabili negligentia ignoret mysterium sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis D. N. J. C. Percunctentur etiam a parentibus, et dominis, an filios, et famulos rite institui curent: pueros, et puellas interrogent, an frequenter adeant Ecclesias, in quibus Doctrina christiana tradatur: ab illis etiam exquirant, quam sint adepti de rebus divinis notitiam. Quicumque in clericalem statum adsciti sunt (4), et multo magis, qui Sacerdotio sunt initiati se Parochis adjutores exhibere debent, et Christi Doctrinæ fideles administros. De ipsis enim dictum est (5): *estis divina misericordia in ecclesiastico Ordine constituti ad gloriam Dei conservandam, propagandamque*. Nihil autem Deo carius, nihil acceptius, quam ut ipsius adjutores simus, ita ut dicat divus Gregorius Magnus (6): *nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum*. Si eos Dei gloriæ desiderium tangit, quo certe affici par est, ut suscepto muneri non desint, in hac exercitatione operam navent diligenter. Ludimagistris quoque, et mulieribus, qui pueros, et puellas institu-

(1) Eccles. Cap. XVII. 12.

(2) Card. Paleot. Archiep. Bonon. P. II.

(3) LXIV.

(4) Synod. Laud. ibi. Et Bened. XIV. Notif. IX. Vol. I.

(5) Act. Eccl. Mediol. P. II. Concil. IV.

(6) Lib. I. In Ezech.

stitu-

stituunt (1), mandamus, ut eosdem frequenter in christiana lege informent, et saltem semel qualibet hebdomada. Qui præsunt iis contuberniis, in quibus pueri, et puellæ educantur, satagant, ut Doctrinæ christianæ exercitatio numquam intermittatur. Confessarii Monialium puellas in Monasteriis degentes hisce præceptis erudire non negligant. Omnibus denique cordi esse debet, ut omnes cognoscant solum Deum verum, et quem misit Jesum Christum (2), et illud Isaiæ vaticinium apud nos compleatur (3): *repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes*. Nam patribus, et matribus, et omnibus, qui aliquibus præsint, numquam finem faciemus inculcandi, ne hac in re remissius se gerant, Apostoli sententiam apponentes (4): *si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, Fidem negavit, et est infideli deterior*.

(1) *Leo X. Const. 7. in Conc. Later. Synod. Jacob. Boncomp. Et Bened. XIV. ibi.*

(2) *Joan. XVII. 3.*

(3) *Cap. XI. 9.*

(4) *I. Timoth. V. 8.*

V.

Quale autem incitamentum accederet, et qualis singulorum fructus esset, si matronæ spectatæ, si viri graves, et docti, et claritate sanguinis insignes, si ingenui adolescentes huic tam salutari operi auxilium ferrent, suoque exemplo alios provocarent? Habemus hac de re præclarum, et domesticum exemplum ad imitandum propositum. Nam sæculo superiori nostra hæc Civitas Ven. Cœsarem Blanchettum admirata est, virum ex ordine Senatorio, tanta nobilitate, tanta auctoritate, et tradendæ infimæ plebeculæ christianæ Doctrinæ studiosissimum (5). Hic diebus festis Christi e Cruce pendentis simulacrum deferens, frequentiores Civitatis vias circumiens, coactum puerorum pauperum agmen ad Ecclesiam perducebat, eisque Fidei rudimenta benignissime explicabat: Et aliquando vicos, et oppida Diœcesis concursans, cœlestis Doctrinæ semina ubique jaciebat: nec semel in silvis, et in agrestibus locis conquisitos pueros, et rudes, facto eorumdem circulo in rebus divinis suavissime erudivit, et præmiis delinivit. Quod eximium pietatis

(5) *In ejus Vita. C. 8.*

officium, tamquam præclarum vitæ decus, et ornamentum in posterorum memoria sempiterna conditum, et collocatum est. Absit ergo, ut viro nobili, et apprime claro, et quacumque dignitate decorato indignum credatur, quod Dei Filius infinitæ majestatis facere dignatus est, qui evangelizare pauperibus se missum testatus est (1). Sunt quædam familiæ nobiles, in quibus jam consuetudo laudabilis invaluit, ut per Sacerdotem filii, et famuli domus singulis hebdomadis Christi Doctrina imbuantur. Laudandi equidem, qui hanc domesticam curam habent; sed laudatiores evadere possent, si iidem cum domesticis ad christianæ Doctrinæ scholas accederent, *ad quas eos ducere, velut ad pabula salutis vobis non est erubescendum, ne, cum erubescatis Dominum Deum nostrum in hoc mundo, erubescat vos ille in alio*, ut gravissime dicit Cardinalis Palæotus (2).

(1) *Luca IV. 18.*

(2) *Archiep. Bon. P. II.*

V I.

Nostræ porro curæ omnes, vigiliæ, cogitationesque in eo elaborabunt, ut nullo tempore sacræ hujus disciplinæ vigor hebescat. Ii adolescentes, qui prima Tonsura, et aliis Ordinibus initiari postulabunt, certo repulsam ferent, nisi Nobis constiterit in christiana Doctrina tradenda operam suam locasse. Qui vero parochiales Ecclesias adipisci contendent ad eam honoris, et gradus dignitatem obseptum aditum intelligent, nisi de sui diligentia in erudiendis pueris certum documentum exhibeatur (3). Adolescentulæ vero, quæ dotes a Nobis expostulent, ab omni spe eas assequendi demotas se sentient, nisi de scripto testimonium referant, quo intelligamus, easdem frequenter ad excipiendam christianam Doctrinam in Ecclesiam parochialem convenisse, et in ea satis versatas esse. Adprobamus præterea, et vehementer commendamus eam consuetudinem, ut in locis publicis Civitatis Catechismi traditio fiat. Quod tamen ne temere fiat, qui hoc munere fungentur, adprobandi a Nobis erunt. Atque ii quidem castigata locutione, gra-

(3) *Bened. XIV. Notif. IX. Vol. I. Et Const.* Etsi minime.

gravique sermone semper utantur: scurrilibus, et jocosis, et ad risum creandum idoneis amandatis, non illecebras vulgi per nimiam festivitatem aucupantes, sed animarum fructum exquirentes. Nam qui de rebus divinis ad populum verba facit, semper in grandi materia versatur, ut docet divus Augustinus (1): qui autem de rebus maximis dicat, ad vilia, et abjecta, et ridicula delabi non decet. Confirmamus etiam, et omni studio prosequimur institutam jam Visitatorum Doctrinæ christianæ Congregationem, quorum officium ad christianam populi instructionem plurimum conferre posse censuit Bened. XIV. (2). Atque hos Visitatores magna charitate complectimur, et ex eorum sedulitate confidimus, fore ut sacra hujus disciplinæ ratio nullo tempore refrigescat. Optamus etiam, in omnibus Parochiis societates, seu confraternitates conflari christianæ Doctrinæ, ubi extructæ non sint, quemadmodum sanctus Pius V. (3) erigi ubique locorum desiderat, collatis etiam Indulgentiæ subsidiis, et iis, qui societatibus hujusmodi nomen dederint, quoties alios docuerint, et iis etiam, qui instructi fuerint (4). Ad evitandam omnem perturbationem, confusionemque et docendi, et discendi, volumus, ut omnes utantur libello pro exponendis primis fidei rudimentis jussu nostro edito: in longioribus vero instructionibus Catechismo Romano (5), aliisque probatioribus libris. Denique ut omnia auferantur impedimenta, quæ huic tam necessariæ exercitationi obesse possunt, et ejus disciplinæ fervor numquam languescat, innovamus nostri Prædecessoris Jacobi Boncompagni Edictum, quod ad Synodi calcem adjicimus (6), sancientes ut bis singulis annis publice perlegatur, scilicet prima Quadragesimæ Dominica, et in Festo omnium Sanctorum: et Parochi certiores faciant Vicarios Foraneos, se huic decreto nostro paruisse.

VII.

Audite igitur Fratres, et Filii, quos unice in Chri-

(1) *Lib. IV. de Doct. Chris. Cap. XVIII.*

(2) *In Encycl.* Etsi minime §. 16. *Et Notif. IX. Vol. I.*

(3) *Const.* Ex debito. 137. *et Paul. V. Const.* Ex credito.

(4) *Append. ead. N. VI.*

(5) *Clem. XIII. Encycl.* 1761.

(6) *In Append. N. VII.*

sto diligimus, audite Patrem pro animabus vestris rationem redditurum, et æternæ salutis vestræ summe sitientem, quem si audiatis, alter alterum in scientia sanctorum erudire non prætermittetis. Vos omnes diligentiæ nostræ vicarios constituimus; commune enim negotium est omnium. Date igitur operam omnes, et singuli, ut Doctrinæ sanctæ traditio ubique, et privatim, et publice efflorescat. Nam si Civitas hæc nostra merito suo consecuta est, ut bonarum artium, et disciplinarum domicilium, et parens jure sit habita, et dicatur, hoc etiam laudis superaddite, ut ceteræ Ecclesiæ ab hac nostra cœlestis Doctrinæ tradendæ exempla repetere possint.

CAPUT V.

De Verbi Dei Prædicatione.

I.

PRobatica illa Piscina a divo Joanne Apostolo memorata (1), ad quam confluere, et consistere solebat magna languentium, cæcorum, claudorum, et aridorum multitudo, speciem exhibebat earum infirmitatum, quibus cum originis peccato, tum aliis voluntate patratis animi hominum premuntur, et misere contabescunt. Alii enim ignorantia obcœcati sunt, alii inflammati luxuria, alii pecuniæ cupiditate, quasi compedibus constricti, alii aliis pravitatibus circumsessi, et capti. Sanandis tot animorum morbis non destitit clementissimus Deus verbum suum omni tempore, tamquam salutare medicamentum admovere juxta illud Prophetæ (2): *misit verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum*. Omnia, quæ Dei Ecclesiæ obtigerunt bona, a Dei verbo in ea disseminato repetenda sunt. Dei verbum eam peperit, aluit, conservavit. Hoc vitia

(1) *Jo. Cap. V.*

(2) *Psalm. CVI. 20.*

vitia restinguuntur, tepor accenditur, incalescit fervor, virtutes inseruntur, insitæque convalescunt. Hinc inveteravit in Ecclesia consuetudo, ut a Pastoribus, et aliis Sacerdotibus sanandis animorum morbis hoc Divini verbi remedium adhiberetur. Omnibus igitur animarum curam gerentibus, etsi regularibus, mandamus, ut diebus festis, perlecto Evangelio, illud perspicue explanent, eaque dicant, quæ ad revellenda radicitus vitia, et ad virtutes invehendas conferant, excelsamque de Fidei mysteriis notionem pariant. Ingessit id quidem, et inculcavit sancta Tridentina Synodus (1), Nosque idipsum servari præcipimus, et desides, et lentos in hoc munere pœnis ab eadem Synodo indictis comprimemus.

II.

Quia vero *multitudo sapientium sanitas est Orbis terrarum*, ut a Sapiente dicitur (2), fructuose alii etiam Sacerdotes cum sæculares, tum regulares animarum Pastoribus adjutores adjunguntur. Nemo tamen ex his in Ecclesiis nostræ Jurisdictionis (3) audeat concionari, nisi a Nobis potestas de scripto sit facta, et nisi reportata sit benedictio. Nec Parochis liceat, aut aliis Rectoribus quemquam ad hoc munus concionandi in suis Ecclesiis admittere, nisi litteras ostendat concessionis, manu, et sigillo Nostro munitas (4). Si vero gravi de causa adducti, datam aliquibus facultatem revocabimus, hi ab habendis imposterum concionibus abstineant, ut Tridentina Synodus (5) prudentissime cavit. Nemini autem facultatem impertiemur in publicis concionibus versandi, de cujus merito Nobis non constiterit, quique, emenso studiorum curriculo, non illa habeat adjumenta naturæ, et artis, ut ea dignitate, qua par est, Divini verbi præco esse possit. Nostros propterea monemus, ut, priusquam se in publicas conciones conjiciant, in privatis sodalitiorum sermonibus terendis se exerceant. Subditæ Parochis Confraternitates suas functiones ita attemperent, ut nullo modo iis impedimento sint, quæ in Ecclesia parochia-

(1) *Sess. V. Cap. II. de Reform. Et Ses. XXIV. Cap. IV. de Reform.*

(2) *Sapient. VI. 26.*

(3) *Card. Palaeot. Archiep. Bon. Tit.* De Curatis *P. IV. Et Synod. Hieronym. Columm. P. I. Cap. V. Et Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. IV.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(5) *Sess. V. Cap. II. de Reform.*

rochiali perficiuntur. Nisi huic nostro præcepto pareant, Nobis pœnas dependent, interdictis etiam, si opus sit, earumdem Oratoriis. Parochi evigilent, ne sibi creditæ oves huc illucque vagentur, et a Parochia sua, quasi a parente abstrahantur, ut se alienis nutricibus alendos dedant. Doceant proinde, quantum conveniat, unumquemque ad suam ventitare Parochiam, verbi Divini pabulum a suo Pastore excepturum. Nam certe in Diœcesi, si qua fuerit Ecclesia, aut Oratorium infra milliare contentum, prohibemus omnino ibi Sacrum fieri, præsertim edito prius campanæ signo, nisi absoluta Missa parochiali (1). Ii vero, quibus Concionatoris deligendi jus est, duobus ante Quadragesimam mensibus antevertant, Nobisque adprobandum exhibeant; alioquin pro ea vice eligendi jure decident, et ad Nos pertinebit electio; electo vero a Nobis ab illis ipsis emolumentum suppeditabitur (2).

III.

Quod attinet ad Regulares Tridentinæ Synodi sanctionem ad eorum memoriam revocabimus (3), quæ ait: *Regulares cujuscumque Ordinis, nisi a suis Superioribus de vita, moribus, et scientia examinati, et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis vero, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint.* Atque eadem Synodus (4) nulli Regulari prædicationem permittit, vel in sui Ordinis Ecclesiis, Episcopo contradicente. Has Synodi præscriptiones retineri omnino curabimus.

IV.

Parochos autem hortamur, ut adventantes Divini verbi præcones, et a Nobis missos humanissime excipiant, et hospitio foveant, omnique sinceræ benevolen-

tiæ

(1) *Bened. XIV. Notif. III. Vol. III.*

(2) *Thesau. Resol. S. C. Conc. 1738. T. VIII. Monacel. T. I. Tit. XIII. Form. 7. Et ex Synod. Hieronym. Columna. ibi.*

(3) *Sess. V. Cap. II. de Reform.*

(4) *Sess. XXIV. Cap. IV. de Reform.*

tiæ significatione prosequantur (1), tamquam adjutores suos, et laborum in vinea Domini socios, ut conjunctis viribus in animarum cultu uberiores fructus percipiant. Quod eis stipendii loco debetur, sine ulla detractione persolvatur (2). Nolumus tamen, ut exacto Quadragesimæ tempore, quæstum ullum faciant extra fines illius Parochiæ, in qua Dei verbum administrarunt, mandantes, ut illa adamussim serventur, quæ Benedictus XIV. (3) præscripsit ad dirimendas eas controversias, quoad alimenta conferenda iis, qui e Civitate ad loca Prædicationis commigrent, et ab iis ad alia divertant. Scilicet, in primis pristinum morem ubique servandum esse. Ad quos pertineat Concionatores alere, iidem pro commodiori itinere prospiciant. Quippe sub alimenti nomine illa etiam continentur, quæ necessaria sunt, ut ipsi in eum locum se conferant, ubi populum piis sermonibus imbuere debent. Sin autem Concionatores suis expensis, vel alterius beneficio, et gratia iter confecerint, sibi ipsi imposterum eodem modo consulant.

(1) *Laud. Synod. ibi. Et Bened. XIV. Notif. VII. Vol. II.*

(2) *Synod. Hieronym. Column. ibi.*

(3) *Notif. eadem.*

V.

Sed inter hæc amara Nos subit cogitatio, quod cum prædicatio saluberrima sit animarum medela, est quippe folium ligni vitæ ad sanitatem gentium (4); tam pauci tamen sanitatem ex ea recipiant, tam multi vitiorum infirmitatibus corripiantur. Poterit id damni evenire populi culpa, qui vel Dei verbum audire negligat, vel non audiat ea ratione, ut proficiat. At non semel Concionatorum est culpa, qui acceptum ministerium vel ad turpe lucrum consectandum, vel ad scientiæ ostentationem, et inanis gloriolæ lenocinium traducunt. Hos igitur omnes obsecramus in Domino, ne ipsorum incuria tot animarum salus periclitetur.

(4) *Apocalyp. XXII. 2.*

VI.

Primo itaque meminerint, eum, qui ad hoc munus accedit, non mediocri doctrina præditum esse oportere,

tere, multo studio, et labore comparata, et prius infundi debere, quam effundere, ut ait divus Bernardus (1), qui illos improbat, *qui ante effundere, quam infundi velint, loqui quam audire paratiores, et prompti docere, quod non didicerunt*. Quacumque tamen emineat doctrinæ laude sacer Orator, non debet in ea se jactare, et effluere (2), sed abstrusiora relinquere: quæ dubitationem aliquam sive in mysteriis, sive in rebus moralibus gignere possint, omnino amputare, et omittere. Nihil vero *obscuritate perniciosius, nihil perspicuitate desiderabilius* (3). Omnino vero caveant sacri Oratores falsa miracula (4), ambiguas revelationes, incertas prophetias venditare: quippe turpe est, veritatis præconem mendaciis inniti, et fraudolentis demonstrationibus. Profanis exemplis, et historiis (5) parce admodum utantur: nam sacris undequaque abundamus. Quæ ad utilitatem audientium efficaciora sunt, ea maxime pertractent. Gravissime disserant (6) de quatuor novissimis, de Sacramentorum frequentatione, de pœnitentia non protrahenda, de sanctæ Romanæ Ecclesiæ dignitate, de virtutum pulchritudine, de turpitudine vitiorum, de amore Dei augendo, de vera in proximum charitate, de filiorum educatione, de patientia in adversis vitæ adhibenda, deque aliis ad beatæ vitæ adeptionem necessariis.

(1) Serm. XVIII. in Cantica.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(3) Divus Aug. Lib. IV. de Doct. Christ. Cap. VIII.

(4) Laud. nostræ Synod. ibi.

(5) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(6) Laud. nostr. Synod. ibi.

V I I.

Non est sacro Oratori vetitum aliquos orationi flosculos adspergere, ut docet divus Augustinus in libris de Doctrina christiana (7), ne qui audiunt nimia dicentis severitate abalienati, a Dei verbo audiendo avocentur: quippe charitas suo quemque, ut dicitur, hamo, vel esca piscari solet. Sed modus quidam servandus est, et cavendum, ne quid nimis: et eo solo consilio audientes mulcendi sunt, ut in eorum animos veritas facilius intromittatur. Captare plausus, inanesque acclamationes levis hominis est, non mysteriorum Dei dispensatoris. Absint vero joci, et scurriles locutiones relin-

(7) Lib. VIII. Cap. XIII.

relinquendæ Comicis, abigendæ ab Ecclesiis: voces etiam sordidæ, et nimis abjectæ a gravitate Ecclesiæ alienæ sunt. Sacræ Scripturæ verba ad ineptos sensus, multoque minus ridiculos ne pertrahant, sed caste, et sapienter interpretentur juxta sanctorum Patrum explicationem, ut Tridentina Synodus præcipit (1).

VIII.

Parum vero prodesset veritatem patefacere, nisi qui audiunt, permoverentur, et inclinarentur ad amorem virtutis. Id numquam assequentur, nisi ii ipsi, qui dicunt, præcedant exemplo; quippe validiora sunt exempla, quam verba. Se ipsos igitur exhibeant exemplum bonorum operum in integritate, et gravitate, et in omni vitæ consuetudine bonus Christi odor effecti: non se ludis immisceant, nec ludicra sectentur: ab omni futili sermone abhorreant. Dum vitia carpunt, neminem notent; nec quidquam dicant, quod suspicionem ingerat, se id rei in sacramentali Confessione accepisse. Principibus, et Præsulibus quibuscumque nullo modo detrahant. Ardeant ipsi prius charitate, si illam in aliis gignere, et accendere volunt, aliter non erunt nisi cymbalum tinniens. Nisi verba cordi respondeant, nullus vel modicus parietur fructus: *arbor, quam florere vides*, ait Cassiodorus (2), *quam summa conspicis viriditate lætari, subterraneo succo fæcunditatis animatur, reddens in superficie, quod continet in radice*; ita et quæ dicuntur, ab intimo cordis proficiscantur. Verumtamen dum commovere alios conantur, graviores commotiones ne trahant, extraordinariis spectaculis interpositis, sed sola Cruce, et Christi crucifixi simulacro utantur. Nihil autem turpius sacro Oratori, quam concionandi munus in quamdam negotiationem convertere. Qualemcumque igitur avaritiæ suspicionem a se avertant. Si quas eleemosynas (3) congesserint, nullo modo in loco, in quo concionati fuerint, venales exponant. Victu mediocri contenti (4) apud Parochos de more hospitentur, nisi forte

(1) *Sess. IV. In Decret. de Sacris Lib.*

(2) *Lib. IX. Ep. 11.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Laud. nostra Synod. ibi.*

forte pia charitas alicujus familiæ in levamen pauperis Ecclesiæ alimenta conferat. Homo in mundi lucris continentissimus, idem ipse est ad magnos edendos animarum fructus aptissimus.

I X.

Qui ad sacras Virgines a Nobis destinati conciones habebunt, ea pertractabunt argumenta, quæ spirituali vitæ enutriendæ conducunt. Agant proinde (1) de castitatis præstantia, de merito paupertatis, et obedientiæ, de mutua charitate servanda, de mundi commercio penitus abjiciendo, deque aliis ad spiritualem vitam pertinentibus. Neminem admittant præter earumdem Confessarium ad conciones audiendas (2), sed janius clausis exteros excludant. A colloquiis cum Monialibus, et a dandis, vel accipiendis epistolis abstineant: in dicendo earumdem captui se conforment: horam servent ab eisdem præscriptam, ne temporis distributio pro gerendis officiis in Monasterio perturbetur. Demum observent ea omnia, quæ a summis Pontificibus, et a sacra Congregatione hac de re sancita fuere.

(1) *Laud. Synodi ibi.*

(2) *Synod. Jacob Boncomp. ibi.*

CAPUT VI.

De Festis Diebus, et eorum Observantia.

I.

QUum divus Bernardus Abbas multis videret Ecclesiam suo tempore sordibus, et calamitatibus obrutam et deformatam, Dei ardore succensus, Cardinalibus Curiæ Romanæ scribens (3), in hæc verba prorupit: *urimur assidue, dico vobis, urimur graviter nimis, ita ut tædeat etiam vivere: in domo Dei videmus horrenda*. Hinc se ad pristina Ecclesiæ tempora revocans (4), felicemque illorum dierum statum, sanctissimamque disciplinam perpendens, illum quasi deperditum

(3) *Epist. CCXXXVI. Edit. Mabill.*

(4) *Epist. CCXXXVIII.*

tum juventutis florem, et deletam venustatem renovari desiderans, ajebat: *quis mihi det antequam moriar, videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis?* Nos quoque in hujus Ecclesiæ quasi specula constituti, calamitosam Ecclesiæ faciem contemplantes, acerbe cruciamur, cum multis de causis, tum maxime, quod dies Festi in Dei honorem, et beatæ Virginis, et Sanctorum consecrati, per summam impietatem conculcentur, et ad luxuriam, et intemperantiæ fomitem traducantur, et in Diaboli muscipulam evadant: et in antiquam Ecclesiæ disciplinam intuentes pristinam religionem, et pietatem in diebus Festis excolendis obsolevisse, et fere extinctam esse summopere dolemus. Nam quum primis Ecclesiæ florentissimis temporibus dies Festi nocturnis vigiliis, et jejuniis præcurrerentur, et magna ex parte in sacris Mysteriis celebrandis, in Dei verbo excipiendo, in precationibus, et in charitatis officiis impenderentur, essentque animabus levamini, et in eis augesceret charitas, firmaretur fides, ipsique christiani mutuis vinculis, concordiaque consociarentur: atque adeo solus Diabolus in horum dierum concursu fremeret, et tabesceret; nunc mutata sunt omnia, venustas defloruit, aurum in scoriam conversum est. Nam plures sunt, qui multorum dierum desidiam, otiumque sacrilego unius diei Festi labore compensant. Plures etiam, qui in tabernis diem Festum transigentes, cessationem ab operibus servilibus ad nefarias libidines, ad turpissimos amores, ad lites contexendas, ad cædes parandas vino madentes inflectunt. Plures etiam sunt, qui dies Dominicos omnium celeberrimos comissationibus nocturnis, ne carnium ingluvie fraudentur, ingrediuntur: hinc ad multam diem protractus somnus, tum in componendo capillo, et in curando corpore permultum temporis datur: dilapso jam meridie ad Ecclesiam cito gressu concurritur, animo inanibus cogitationibus mire occupato: breve Sacrum exauditur, mente, oculisque huc illucque

E 2 eva-

evagantibus, si tamen ob nimiam tarditatem non sit ejus audiendi ablata facultas: deseritur subito Ecclesia, quasi inter suppositos carbones morarentur: tum in otio, et in novis rebus conquirendis, et in vanis sermonibus, quod mensæ antevertit tempus, consumitur: dein ad epulas itur. Nihil vero solertius agitur, quam ut nulla intercidat hora vacua voluptate, et in quolibet sensu corporis aliquod gaudium, delectatioque versetur. Quod reliquum est temporis, ludis, curiosis discursionibus, spectaculis, theatris, choreis addicitur. Si qua sunt exhibenda spectacula, si qua apparanda splendide, magnificeque convivia, hæc diebus Festis deputantur: unde in his servilia opera plus effervescunt, quam ceteris diebus: Et talium conditores, instructoresque laboribus defatigati, et pressi, tantum abest, ut quietem diei Festi ad animi solamen, et munditiam datam, Deo et sibi impertiant, ut ne respirare quidem possint.

Hæccine est illa vetus disciplina? Hoccine illud memorandum præceptum (1): *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices?* Præceptum vero toties in sacris litteris inculcatum, in Levitico (2), in Deuteronomio (3) apud Isaiam (4), Hieremiam (5), et Ezechielem (6) Prophetas: restauratum in novo Testamento, et millies a Conciliis, a summis Pontificibus, et ab omnibus Ecclesiæ sanctionibus, et demum a sancta Tridentina Synodo (7) dierum Festorum devotam, et religiosam celebrationem admonente confirmatum? Quid igitur erunt hi dies Festi in hunc modum exacti, nisi Satanæ festum, ut a divo Joanne Chrysostomo appellantur (8), et divinæ indignationis provocatio juxta illud Ezechielis (9): *Sabbatha mea violaverunt vehementer: dixi ergo, ut effunderem furorem meum super eos.* Infestam hanc sacrorum dierum violationem non conjectura prospicimus, sed experti videmus in multis, et exhorrescimus: et quamvis alienissimi a severitate simus; tamen non nisi severitate aliqua, et justa animadversione lenire animi dolorem possu-

(1) *Exod. XX. 8.*
(2) C. *XVI.*
(3) *Cap. V.*
(4) C. *LVI.*
(5) C. *XVII.*
(6) C. *XX.*
(7) *Sess. XXV. Decr. de Invoc. et vener. SS.*
(8) *Concione I. De Lazaro.*
(9) C. *XX. V. 13.*

possumus. Vehementer igitur optamus, immo præcipimus, ut quæ sequuntur, executioni diligentissime mandentur.

II.

Quamobrem Parochorum cura sit diebus Dominicis enunciare populo dies Festos (1), qui per hebdomadam incidant. Kalendis Januarii singulis annis populo legant ex Altari Edictum nostrum, quod pro munienda sacrorum dierum observantia non semel promulgavimus (2), quod modo confirmamus. Insuper hortabuntur (3) ad observandum eum diem ex devotione, in quem incidet Titularis Ecclesiæ, sive Patronus Communitatis. Festum vero divi Petronii præcipimus omni religione coli, ut quum principalis nostræ Civitatis Protector sit, Urbem, et Diœcesim sua cumulet intercessione iis bonis, quibus optamus a Deo repleri. Sed parum referret dies Festos populo enunciare, nisi Parochorum diligentia præcepti hujus præstantiam, necessitatem, utilitatem, atque religiosum in illis exhibendum Deo cultum explicaret. Erit ergo Pastorum, sicut et omnium illorum, qui Dei verbum administrant, ostendere, quanti faciendum sit præceptum hoc de Festis diebus religiose servandis; quod a Jure naturæ existit, quum illud a natura comparatum sit, ut aliquot horas in iis, quæ ad Dei cultum pertinent, impendamus. Ut enim par est rationalem Creaturam reverentiam, et obsequium Dei majestati, et Creatori suo aliquando exhibere: quem quum fide, et spe, et charitate ex intimo cordis colamus; ita et externo cultu venerari debemus, eidemque gratias agere. Est etiam naturale homini, sicut docet divus Thomas (4), ut quemadmodum corpori refectione, somno, aliisque functionibus serviat; ita et aliquando ut, dissipatis in varias curas, et negotia viribus, animi tamquam receptui canant, et Deo se dedant, internæque munditiæ, et cultui studeant, amissasque vires recuperent. Dies porro Dominica, in quam

eximia

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. VI.*

(2) *Append. N. VIII.*

(3) *Jacob. Boncomp. Synod. ibi.*

(4) *2. 2. Q. CXXII. Art. IV. ad primum.*

eximia mysteria confluunt, singulari devotione percurrenda est, quam Apostoli divino afflati Spiritu instituerunt (1). Alios præterea dies Ecclesia consequentibus temporibus instituit, quibus et Christi mysteria singulari affectu prosequeretur, et in sanctissimam Dei Matrem obsequium, gratumque animum testaretur, et Sanctorum quoque cum Christo regnantium merita, et victorias concelebraret, ut hinc fideles hisce celebritatibus invitati, ad Religionem inflammarentur, et perpetuam Cœlitum celebritatem aliqua ratione æmularentur.

(1) *Catech. Rom. de III. Præcep. Cap. VII.*

III.

Quantam igitur fidem, pietatem, fervorem, animique candorem deposcet Festorum dierum observatio! Nemo ignorat, teneri unumquemque sacrosancto Missæ sacrificio interesse singulis diebus Festis, et ea quidem animi attentione, quæ rei magnitudini, quantum fieri potest, respondeat. At vero intolerabilis esset tepor, vituperabilisque socordia, si quis, uno sacro audito contentus, reliquum diei otio, ignaviæque, vanisque occupationibus tribueret: *homo enim*, ait divus Thomas (2), *ad hoc ab aliis operibus abstinet in die Sabbathi, ut vacet operibus ad Dei servitutem pertinentibus*. Devoti, et donati operibus sanctis esse dies Festi debent; et illa quidem optima essent: sacras Conciones audire: christianæ vitæ institutionem addiscere, vel docere: Dei laudes decantare: sodalitia Deo, et Beatæ Virgini nuncupata frequentare: ægrotos invisere, iisque ministrare: pacem inter discordes conciliare: salutaria consilia impertiri: rerum Divinarum meditationi, et precationi vacare: libros sanctos evolvere: Sanctorum vitas lectitare: fidei rudimentis domesticos instruere, et cum iis de rebus Divinis sermocinari: *dies enim Festus est bonorum operum exhibita copia* (3), ait divus Joannes Chrysostomus: sed illud omnium saluberrimum, susceptas labes pœnitentiæ sacramento extergere, seque cœlestibus dapibus roborare. Hæc qui faciat, et alacrior ad gerenda sui

(2) *Loc. cit.*

(3) *Hom. XXVIII. In primam ad Cor.*

da sui status munera se conferet, et omnia quæcumque faciet, semper prosperabuntur.

I V.

Quia vero distractus in mundi curas animus, a rebus Divinis abducitur, aberratque ab eo fine, qui alius non est ex divo Thoma (1) *nisi, ut homo vacet rebus Divinis*, ob eam causam opera servilia quæcumque, nisi ex necessitate, et ex Ecclesiæ concessione permittantur, omnino sunt vetita diebus Deo sacratis. Nullus itaque audeat (2) hisce diebus mercaturam exercere, negotia contrectare, apothecas aperire, et per Civitatem, aut Diœcesim obire servilia, et ducere currus cum tritico, aut mercibus, præterquam in casibus a Jure expressis, et in nundinis consuetudine, vel privilegio inductis in aliquo die Festo determinato. Emptiones, ac venditiones, exactiones etiam collectarum, instrumenta, et scripturas locationum, et quorumcumque contractuum conscribi, præterquam sponsalium, et matrimoniorum, et eorum, quæ pietatem sapiant, omnino interdicimus. Benedictus XIV. in sua Institutione (3), necessitate flagitante, indulsit Tonsoribus, ut diebus Festis liceret iisdem per aliquod tempus suo munere fungi; sed dato Ecclesiæ Metropolitanæ de campana signo, intermittere omnino deberent, nec ad id operis se referre, nisi post vigesimam secundam, vel vigesimam tertiam horam, juxta Tabulam ab eo constitutam: quod etsi Nos indulgeamus, nolumus tamen, ut vel in privatis domibus, vel clausa tonstrina hoc munus exerceant. Idipsum eadem restrictione concessit Benedictus macellariis, et iis, qui esculenta vitæ necessaria in plateis, vel officinis vendunt. Nos idipsum confirmamus, et violatores pœnis arbitrio nostro inflictis, reprimemus. Non inhibemus tamen, diebus Festis medicamenta pro infirmis construi, eaque vendi; sed parvum pateat ostium, non tota apotheca pandatur. Nundinæ vero, ut sunt diebus Festis prorsus interdictæ; ita si quando a suprema Potesta-

(1) *Ibi.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(3) *Notif. II. Vol. III.*

testate concedantur, habeant certas horas præfinitas, cum vespertinas, tum matutinas, quibus occludantur apothecæ, ut sit facultas iis, qui ad eas confluxerunt, audiendi sacrum, et divinis rebus vacandi (1). Ii quoque, qui longiori tempore, et ingenti labore piscatum exercent, hanc a servilibus operibus vacationem abrumpunt. Minus etiam diebus Festis obsequuntur, qui eosdem venando percurrunt. Si qua vero consuetudo in dies Festos servilia opera immisit, ea potius coruptela dicenda est, et repudianda, maxime si ab Ecclesiæ Præsulibus in eam reclamatum est.

(1) *Bened. XIV. Constit.* Ab eo tempore. 1745.

V.

Quia vero vel necessitas, vel publica utilitas postulat (2) operibus servilibus aliquando etiam in Festis diebus admoveri manum, eadem sine Ecclesiæ, ad quam solam spectat, concessione peragi non debent. Quoties ergo casus occurrerit servilia exercendi; in Civitate ad Vicarium Generalem; in Diœcesi vero ad Vicarium Foraneum, vel ad Parochos recurratur (3), quos ad id munus delegamus, quique pro exigentia casus gratis dispensabunt. Atque ii quidem circumspecte, et caute dispiciant, ubi, et quando, et quantum concedere, et dispensare debeant, nemini blandientes, nec personas acceptantes. Nam de fideli Ecclesiæ dispensatione graviter ajebat divus Bernardus (4): *ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas, dico, communis, non propria. Nam quum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est*. Dent autem de scripto facultatem, ut si casus obveniat, administris Curiæ Archiepiscopalis exhiberi possit. Molendini opera, necessitate ingruente, quiescere aliquando diebus Festis non possunt; attamen molendinorum operarii id servent, quod a sancto Carolo sancitum est (5), ut scilicet cessent ab advehendo ad molendinum tritico, ac revehenda ad pistores, aut ad ædes privatorum farina, a tondendis

(2) *Divus Thom. loc. cit.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Lib. III. de Consid. Cap. IV.*

(5) *De Observ. Fest. Act. Eccle. Mediol. P. III. Not. 17.*

dendis scalpro molis, resarciendis rotis, aut alio quovis opere præstando circa molendinum, nisi forsan ob plurium Festorum frequentiam, aut urgentis necessitatis causam, suffragium Ecclesiæ in scriptis obtinuerint. Quorum operum exercendorum facultas non a Parochis, sed a Nobis, aut Vicario nostro concedetur; pro Civitate autem Centi a Commissario nostro. Doceant præterea Parochi eos omnes, qui hisce diebus ex necessitate, et ex facultate ipsis data in operibus servilibus distinentur, non exsolvi obligatione Sacrum audiendi (1), ac debere aliquam diei partem Deo, animæque suæ tribuere.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

V I.

Deflere autem satis non possumus pravam consuetudinem, quæ profundas egit radices, ut diebus Festis pateant Theatra, choreæ ebulliant, spectacula publica, ludi, pompæ, et inania delectamenta præbeantur, quibus sacrorum dierum gravitas, et religio infuscatur, et perditur. Quæ consuetudo tantum abest, ut horum dierum sanctitati non repugnet, ut in ea condemnanda, et profliganda ne dum ecclesiasticæ Leges, sed et civiles, a sæcularibus Principibus latæ, adlaboraverint, ut sapienter ostendit gloriosissimæ memoriæ Benedictus XIV. (2). Nos equidem tam exitiosam, et adversam dierum Festorum celebrationi consuetudinem eliminare penitus non speramus; attamen, et pro potestate nostra, et pro pastorali sollicitudine, qua flagramus, interdicimus omnino per dies Festos circulatoribus (3), mimis, joculatoribus, saltatoribus vendere aliquid, vel cogere cœtus, vel circulos agere, aut canere in foro, in plateis, in vicis; secus amissione venalium, et aliis modis severe multabuntur, nisi forte post pomeridianas horas, Nobis concedentibus, tempore ad Tabulæ præscriptum constituto id fecerint: et multo gravius animadvertemus, si spectacula, si ludi fiant, si cantilenæ, et musicorum instrumentorum concentus, aut strepitus edantur prope

(2) Lib. XI. de Synod. Diœces. Cap. I.

(3) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

Ecclesias, dum in iis vel Dei verbum ministratur, vel alia sacra functio peragitur: et mandamus Parochis tam Civitatis, quam Diœcesis, ut vigili custodia curent, ne umquam in Ecclesiarum vicinia hæc contingant.

VII.

Atque iidem animarum Curatores docere pergant plebem sibi commissam, ut semper, sed die Festo præsertim ab ebrietate, ab jurgiis, a contumeliis, ab impudicitiis, et ab omni peccato caveant. Nam si operibus servilibus abalienantur animi a Divinis, et diei Festi religio inquinatur, quanto magis eam oppugnabit actio ex se se flagitiosa, et prava? Hinc graviori reatu se obstringit, qui die Festo peccat, quam si alio die peccaret, ut omnes Theologi cum divo Thoma (1) docuerunt. *Dies enim Festus*, ait divus Joannes Chrysostomus (2), *ideo institutus est, non ut turpiter agamus, non ut peccata accumulemus, sed ut, quæ admissa fuere, de medio tollamus*. Absit igitur a vobis, dilectissimi Filii, infanda ista perversio, ut, quum dies Festi ad hoc sint destinati, ut Dei honor, et cultus augeatur, Religio efflorescat, animarum profectus conquiratur, depravatione vestra fiat, ut ad Dei contemptum, ad Religionis ablegationem, ad animarum cladem, et perniciem devocentur; sintque venabulum Diaboli, triumphus Inferni, et irritamenta peccati, et ibi culpa augmentum inveniat, ubi finem habere debebat.

(1) *Loc. cit.*

(2) *Hom. XXVII. in primam ad Cor.*

CAPUT VII.

De Reverentia Ecclesiis exhibenda.

I.

QUum multa a Majoribus nostris acceperimus religionis, et pietatis monumenta, tum nihil præclarius

rius est, quam quod Civitatem, et Diœcesim nobis reliquerint Templorum splendore, et magnificentia, et multitudine refertas, ut quocumque oculos advertamus, nobis occurrant, nosque ad sanctissimæ Religionis, quam profitemur, memoriam excitent. Sed quum in hisce eximiis Dei domiciliis Religio ipsa prostrata, et afflicta improbitate nostra jaceat, erubescere, et verecundari debemus. Et Nos quidem doloris, mœrorisque nostri amaritudinem, justissimasque querelas effundere iterum cogimur: videmus enim prævaricantes, et tabescimus. Quid enim prodest, si Delubra Deo optimo maximo nuncupata, et in honorem Virginis Deiparæ, et Sanctorum constructa retinemus, eaque magnis artificiis elaborata, pretiosaque suppellectili splendentia, et eo consilio erecta, et expolita, ut debitus Deo persolvatur honor, nobisque ex illorum frequentatione innumerabilia commoda provenirent; nos vero eadem ad Dei contemptum traducimus, et ad animarum exitium abutimur?

De suo tempore conquerebatur divus Joannes Chrysostomus (1), quod, quum Apostolorum temporibus ipsæ Christianorum domus adeo religione, et sanctitate imbutæ essent, ut Ecclesiæ dici possent, suo tempore ipsæ Ecclesiæ Deo sacræ in profanas domos conversæ viderentur. Nunc vero res in deterius evasit. Nam plures, quæ flagitia intra domestica septa complere non possunt, intra venerandos Sanctuarii recessus aggrediuntur: atque ibi turpissimis cogitationibus corrupti, impudicis obtutibus, cachinnis, gestibus obscœnis, verbis nefariis, insanam luxuriam audent explere, atque hinc omnium scelerum maculis notatissimi, stupro, adulterioque concepto discedunt? Quot etiam ex mulieribus sunt, quæ domibus inclusæ, amatores habere se posse desperantes, diebus celebrioribus in Ecclesias invadunt, et alienos obtutus, et amatorias blanditias aucupantur, undique impudicitiæ flammas ejaculantes? Non hos perditis-

(1) Hom. XXXII. in Math. alias XXXIII.

ditissimos infinita Dei majestas, qui terribiliter magnificatus est (1), non Angelorum frequentia, non Divorum ad omnem pietatem expressæ imagines, non tot eorum, qui in Christo dormiunt, tumulis conditæ exuviæ, non sacrosancta Mysteria, quæ ibi peraguntur, non denique gravissimæ comminationes in eos latæ, qui Domum Dei pessundant, ab hisce contaminatissimis moribus demovere possunt? Numquid vero Majores nostri in tot extruendis Deo Templis tantos labores, tanta consilia, tantas impensas contulerunt, ut eorum posteri in hanc eluviem, et labem erumperent? Dolebat Propheta Jeremias (2), quod direpto, incensoque Templo non essent, qui ad solemnitates convenirent; nunc vero contra dolendum, quod hi flagitiosissimi in celebritates Ecclesiarum irrumpant, optandumque, ut Ecclesiæ pauculos habeant, sed qui in spiritu, et veritate adorent. Ut igitur ea omnia abscindantur, quæ sacrorum Templorum reverentiæ obesse possunt, hæc decreta observanda indicimus, quod et præstitimus in nostra (3), quam pridem ad Parochos, Concionatores, et Confessarios dedimus, Pastorali Epistola.

(1) Psalm. CXXXVIII.

(2) Thren. I. v. 4.

(3) Append. N. VIII.

II.

Et primo Curatores animarum, Concionatores, et quoslibet etiam Sacerdotes exhortamur, et enixe precamur, ut zelo domus Dei exardescant, doceantque omnes verbo, et exemplo, quanta religione, animique devotione Templum Dei venerari oporteat. Doceant esse Dei domos, et portas Cœli, domos orationis, locosque terribiles, ultionem divinam provocantes, si violentur; et eo consilio Deum tot in urbibus Ecclesias erexisse, ut docet divus Joannes Chrysostomus (4), ut essent veluti in hoc procelloso mari perfugii portus, in quibus tentationibus pulsati, et animi perturbationibus conflictati, peccatorumque mole obruti considere, et conquiescere possemus, summumque Numen nobis propitiare. Sed vacui gratia, Deoque minime conciliato, sed

(4) Hom. de Baptismo Christi.

sed magis offenso discedemus, nisi illa omnia declinemus, quæ sacrorum locorum reverentiæ adversantur.

III.

Quamobrem illa omnia, quæ vel peccata sunt, vel ad peccatum adducunt a locis sacris sunt avertenda maxime. Omnino absint obscæni gestus, turpia verba, scurriles, prophanique sermones, juxta illud sacræ Tridentinæ Synodi (1): *sæculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur, ac dici possit*. Nemo aditus, aut fores Ecclesiarum occupet (2), ingredientes, aut egredientes fœminas inspecturus, nec huc illucque per Ecclesias vagetur, irritabiles mulierum formas circumspectando, easque consalutando. Sacrilegos hosce pudicitiæ prædones acerrime insectatur divus Joannes Chrysostomus (3), quod Ecclesiam prostibulum faciant, et melius fore, ut hujusmodi homines cæci essent, quam ut oculis tam male abuterentur. In hos Ecclesiarum violatores exilio, pecunia, carcere, aliisque corporalibus pœnis ad arbitrium irrogandis animadverti debere declarat sanctus Pius V. (4). Nos vero pro criminis gravitate arbitratu nostro delinquentes plectemus. At mulieres ad Ecclesiam accedentes memores sint verecundiæ, sine qua nihil rectum esse potest, nec comicarum in modum incedant, perinde ac scenam agerent, et videant, ne suis blanditiis, et artificiosis ornatibus, et affectatis moribus viros jam præcipitantes impellant. In eam introeant velato capite ex Apostoli præscripto (5) ob Angelorum reverentiam, quod et alio tempore in memorata nostra Pastorali (6) insinuavimus, vestibusque ad omnem modestiam conformatis: humeris, et pectore obtectis, non translucidis integumentis patentibus: et curiosos obtutus cohibeant. Ad Sacramenta pœnitentiæ, et Eucharistiæ non admittantur (7), si inverecunde pectus nudatum ostenderint; sitque Parochorum, et Confessariorum munus in has turpi-

(1) *Sess. XXII. Decret. de obser. et evit. in Celeb. Missa.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. X.*

(3) *Hom. LXXXIII. In Math. alias LXXXIV.*

(4) *In Constit.* Cum primum *An. 1566.*

(5) *I. ad Corinth. XI. 5.*

(6) *Append. eod. N. VIII.*

(7) *Syn. Boncomp. ibi. et Decr. Inn. XI. et Clem. XI.*

turpitudines invehere, et a domo Dei avertere quæcumque scenicum redoleant, quod summopere improbabat divus Joannes Chrysostomus (1). Optimum esset ad quæcumque amovenda pericula, ut viri a fœminis in Ecclesiis disjungerentur, quemadmodum antiquitus usurpabatur, teste eodem sancto Doctore (2); sed quum salutarem hanc consuetudinem in Ecclesias Civitatis invehi posse non speremus, volumus, ut in Diœcesi omnino servetur, ubi jam invaluit, et ubi non sit (3), optamus vehementer, ut Parochorum providentia inducatur. Nihil igitur in Ecclesiis, nisi decorum, et honestum explendescat. In picturis equidem penitus servari volumus, quod Tridentina Synodus mandat (4), ut scilicet *omnis lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur*. Eadem Tridentina Synodus (5) jubet arcendas *eas musicas, ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur*. Ii tantum cantus adhibeantur, qui ad piam animi compunctionem excitent, et verba in cantibus usurpentur, quæ ex sacris Scripturis deprompta sint, ac festivitati vel mysterio respondeant, quod celebrat Ecclesia. Harmoniæ item illæ edantur, quæ ad pietatem invitent, non theatrale aliquid, vel profanum sapiant.

(1) Homil. VII. In I. ad Timoth.

(2) Homil. LXXIII. In Matth. alias LXXIV.

(3) Clemens XI. In Epist. Encycl.

(4) Sess. XXV. in princip.

(5) Sess. XXII. Decr. de observ. et evit. in celebr. Missa.

I V.

Circuitiones quoque per Ecclesias, publici congressus, aut coacti cœtus (6) pro agendis, aut deliberandis negotiis, et quæcumque strepitum, et tumultum cient, omnino sint vetita. Notariis interdicimus (7) instrumenta in ipsis conficere, aut juramenta pro stipulatione scripturarum acceptare. Judiciales actus nulli exerceantur: nihil profanum affigatur valvis, nihil venale parietibus adhæreat (8), ut ut pietati fovendæ aptum, sed nec in vestibulo, aut porticu. Nec in Templa inferendæ segetes, aut res aliæ ad usus sacros minime destinatæ. Tabernæ, et cauponæ, profanæque officinæ ab Eccle-

(6) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(7) Ead. Synod. ibi.

(8) Synod. ead. ibi. Et Hieronym. Columna. P. II. Cap. VIII.

Ecclesiis procul consistant (1). Curent Æditui, iique omnes, quibus Ecclesiarum custodia commissa est, ne bajuli, vel mulierculæ onera portantes (2), aliique Ecclesia, tamquam compendiaria via utantur: qui etiam canes abigere (3), quantum fieri potest, conentur, ne latratibus, et incompositis motibus conciones, functionesque sacras perturbent. Sed et acriter objurgandi, qui canes in Ecclesias adducunt. Pauperes stipem cogere per Ecclesiam vagantes non permittantur, sed ad januam considant juxta veterem consuetudinem in Actis Apostolorum memoratam (4): idque sanctus Pius V. (5) etiam præcepit. Danda est etiam opera, quantum fieri potest, ne matres, atque nutrices puerulos in Ecclesiam importent, qui vagitibus, et ejulatibus obstrepentes sacris muneribus sunt impedimento. Quum vero domus Dei pacis, non armorum sit locus (6), ut viri nobiles ad personæ decorem sine loci sacri violatione gladio præcincti stare possunt; ita non sine ejus violatione cetera arma, et quæ præcipue ignem concipiunt intromitti queunt. Itaque, si qui in locis ruralibus cum hisce armis ad Ecclesiam se conferant, non illa foribus, mœnibusque Ecclesiæ applicent, sed in porticu Canonicæ, aut alio in loco sejuncto deponant, alioquin pœnis arbitrio nostro plectentur. At ipso facto excommunicatione percelletur (7), qui gladium distringere, aut sclopum explodere criminose ausus fuerit intra Ecclesiam, reservata Nobis absolutione, ultra alias pœnas ex arbitrio decernendas.

(1) *Synod. Hieronym. Column. P. II. Cap. X.*

(2) *Eadem Synod. ibi.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. X.*

(4) *Cap. III. 2.*

(5) *Constit.* Quamprimum.

(6) *Bened. XIV. Notif. XI. Vol. V.*

(7) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi. Et Hieronym. Column. P. II. Cap. VIII.*

V.

Ceterum ut omnia, quæ minime Templorum dignitati, et sanctitati conveniunt amandentur, viri nonnisi aperto capite adesse in hisce possint, detractis inde pileolis, retibus, et similibus. Æditui, iique, qui Sacerdotibus sacrum peragentibus ministrant, curent, ne laici, et præsertim fœminæ (8) se intra altarium cancellos insinuent, neve propius ad ipsa accedant; sed

et alio

(8) *Can.* Pervenit *de Consecr. Cap.* ut laici *de Vit. et Hon. Cler. et aliis.*

et alio tempore curandum, ne Altaribus adnitantur, galeros, aut penulas, aliave superimponant (1). Optamus vero, ut ne dum Ara maxima, sed et reliqua Templorum Altaria cancellis, vel ferreis, vel marmoreis, vel ligneis obsepiantur (2). Ante diurnam lucem Templa non aperiantur: occludantur vero, sole occidente; neque in iisdem conciones, functionesque nocturnæ peragantur. Si quæ vero permittantur, fœminæ intromitti non debent; sed neque diutius protrahantur, quam ad duas emensas noctis horas sub pœnis ex arbitrio inferendis. Numquam intra sacras Ædes fabulæ, aut ex Divorum historiis petita gesta repræsententur; si quid per majorem hebdomadam ex laudabili Civitatis consuetudine exprimendum sit ad renovandam Christi Passionis memoriam, illud prius Nobis, aut Vicario nostro exhibeatur, et de scripto probetur. Optamus autem, ne ad tam salutare Mysterium oculis subjiciendum symbola longius arcessita adhibeantur; quippe, quo simplicius est id, quod effingitur, eo verius est, et ad rem accomodatius.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Synod. Hieronym. Columna. P. II. Cap. X.*

V I.

Illud porro omnino observandum est, ut in ipsis Ecclesiarum ædibus dignitas, decorum, et mundities undequaque refulgeat, nihilque occurrat, quod oculos offendat, Religionemque labefaciat. Nihil cœnosum, et fœdum in eas projiciatur (3): pulvere, et aranearum telis, aliisque sordibus extergantur. Altaria perpolita, et nitida sint, et iis decenter instructa, quæ ad eorum ornatum, et cultum requiruntur. Diebus vero celebrioribus splendidius exornentur. Suppellex tota, vasa, corporalia, vestes sacræ, et ornamenta quæque munda, pura, incorrupta sint, non attrita, non scissa, non vetustate squallida, ineptave. Strues lignorum (4), acervi lapidum, et quodcumque prospectum, et ingressum impedire valeat, removeatur: vepres, hederæ ad parietes adrepentes revellantur. Si qua arbor Ecclesiæ proxima, patu-

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi. Et Hieronym. Columnn. P. II. Cap. VIII.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

patulis diffusa ramis, eam opacet, vel imbre cadente, e ramis in eamdem stillicidium defluat, excidatur. Si Ecclesiæ tecta imbres in eam demittant, si fornices, aut parietes rimas agant, si tabulata labefactentur, aut pavimenta deterantur, hisce incomodis levandis tempestiva remedia provideant. Ad Beneficiatos pertinet Altaria, seu Capellas tueri, et servare, decentique suppellectili munire, si aliter provisum non sit. Si reditus ad id minime sufficiant, providentia nostra deliberabitur juxta ea, quæ sapienter docuit Prædecessor noster Benedictus XIV. (1). Quotiescumque vero Capellæ, seu Altaria Juripatronatus obnoxia, (quum) collapsa, vel obsoleta fuerint, Patroni opportune refici, et instaurari, decenterque instrui procurent; alioquin auctoritate Nobis a Synodo Tridentina concessa utemur (2). Nulla Ecclesia, nullum Sacellum, Altare nullum excitetur, nisi de scripto obtenta a Nobis potestate, cum appositis de jure oneribus, et conditionibus (3). Et similiter nulla Ecclesia, nullum Sacellum, nullum Altare diruatur, non facta a Nobis facultate. Quum Altaria extruuntur, vel e marmore, vel e coctis lateribus compingantur (4); quod si ex tabulis Altare fieri concedatur, fixum sit, et stabile, ut nullo modo dimoveri queat. Cuicumque Altari, nisi totum sit consecratum, lapis in medio episcopali benedictione sacer, cerata tela coopertus infigatur, firmiterque Altari cohæreat. Desuper non laqueari, sed fornice defendantur Altaria, aut certe si contabulatio immineat, superducantur aulæa, et tensæ apte protentæ, quæ et Altare, et sacerdotem celebrantem excipiant.

(1) *Notif. XII. Vol. V.*

(2) *Sess. XXI. Cap. VII. Et Syn. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. V.*

(3) *Synod. Hieronym. Column. P. II. Cap. X.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp., et Colum. ibi.*

VII.

Omnem servitutis speciem a domo Dei arcendam volumus, nec committemus, nisi Indultum Apostolicum Nobis exhibendum obsistat, ut in laica domo e fenestra, vel ex janua aditus, et prospectus sit in Ecclesiam; nec ubi Canonicæ adjuncta sit laica domus, per-

mittemus ex ea ullum transitum, vel fenestram Ecclesiæ obversam, ex qua sacrum audiri possit (1). Immò et aditum quemcumque etiam subterraneum e privatorum domibus in Ecclesias, et loca immunia auferri, occludique volumus (2), interminantes censuræ gladium in contumaces, pœnamque interdicti, quam et irrogabimus privatis quibuscumque deambulationes, incolatum, cubilia ad cubandum disposita, ceteraque sanctitati loci incongrua permittentibus, vel introducentibus in Ecclesiam (3). Nemini quoque liceat sine facultate nostra, de scripto habita, collocare in Templis subsellia, aut propius Altaribus, aut Tribunalibus pœnitentiæ admovere, aut locum a Nobis constitutum pervertere: nec eadem vendere liceat, nec sibi, aut alteri familiæ jus aliquod vindicare, quacumque etiam temporis, aut pacifici usus diuturnitate minime suffragante (4). Si vero ea de causa quidquam Parocho persolutum fuerit, restituetur. Si contra hanc nostram sanctionem quidquam attentatum fuerit, aut subsellia magnitudine, et forma modum excedant, mandabimus eadem removeri, ultra alias pœnas imponendas arbitrio nostro.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. et Columna. l. cit. ex Decr. S. C. Episc. 8. Junii, et 14. Decemb. 1646. et aliis.*

(2) *S. Cong. Immun. 9. Mart. 1632. et S. Congr. Con. 17. Febr. 1619. et alias.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi ex Dec. S. Congr. Episc. 20. Jul. 1613. et 2. Octob. 1626. et aliis.*

(4 *S. Congr. Episc. 28. Junii 1583. et S. Congr. Concil. 5. Septemb. 1665.*

VIII.

Quod si nefarium aliquod, et detestabile crimen in Ecclesiis (quod Deus avertat) perpetretur, quo polluantur, sacræque functiones intercipiantur, Nos certiores fieri volumus, ut e sacrorum Canonum norma in pristinam dignitatem reducantur.

IX.

Sacraria porro, quæ Templis adhærent, et in quibus res sacræ reconduntur, religione quadam observari debent. Ab his strepitus, nugæ, contentiones excludantur: qui versantur in his, silentii lege utantur: comissationes vero perpetuo ab hisce arcendæ. Ut modestia semper elucere in ipsis debet; ita et munditia, et nitor. Ibidem sacra quælibet suppellex integra, et pura, aptisque in locis collocata accurate custodiatur, nec quidquam profanis usibus deputetur.

X.

X.

Conemur igitur, Filii carissimi, et omni contentione elaboremus, ut demisso capite, et toto cordis affectu in domum Dei ingredientes obsequium nostrum eidem exhibeamus, divinumque Numen sceleribus violatum placare precibus contendamus, et obsecremus, ut mittat nobis auxilium de sancto, et de Sion tueatur nos. Dum in hanc Dei aulam adventamus, nobiscum sit fidei, spei, charitatis, humilitatis, ceterarumque virtutum comitatus. Enixas fundamus preces, ut ingentia nobis peccata dimittat, suoque favore, et gratia opituletur. Sed caveamus, ne ad portum appellentes naufragium patiamur.

CAPUT VIII.

De publicis et privatis Oratoriis.

I.

PErmulta Sacella, seu Oratoria offendimus, præsertim Diœcesim peragrantes, quæ sunt quoddam Templorum genus, quæque sunt ad Deum precandum invitamenta, ad pietatem excitandam faces, ad societatem cum Cœlo ineundam adminicula, modo fide, et religione imbuti in illa deveniamus. Quum igitur de Templis plura jam dixerimus, restat, ut aliqua de Sacellis, seu Oratoriis dicamus. Hæc autem alia sunt publica, alia privatis tantum personis permissa. Nunc de primis nonnulla dicamus; pergemus deinde ad privata.

II.

Et quidem quum illa sint veræ Ecclesiæ, omnibusque pateant, illa omnia rata, et firma esse volumus, quoad hæc, quæ universe de ceteris Ecclesiis diximus et quantum ad reverentiam illis præstandam, et quantum ad nitorem, et munditiam servandam: item quo

 ad chri-

ad christianam Doctrinam, functionesque Parochialis Ecclesiæ minime perturbandas (1). Novum Oratorium seu Sacellum publicum, Nobis inconsultis, nec extruatur, nec diruatur (2). Cum novum aliquod excitabitur, non temere, sed certis regulis fabricandum erit, cavendumque, ne super illud habitacula pro laicis componantur. Ejus forma, adhibitis peritis, et exercitatis Architectis, prius stabiliatur, et illud spectandum erit, ut rerum Divinarum decori, et functionibus in eo obeundis ædificium sit accomodatum. Longitudo decem saltem pedum mensura, latitudo octo contineatur, atque hinc et altitudo respondeat: fenestræ clathris muniantur, nec vitrea specularia desint (3). Præsto sit necessaria suppellex, et illa omnia, quæ ad decentem Divinarum rerum celebrationem conducunt. Sit ad illud e via publica accessus, ut omnibus confluere liceat: neque aperiatur, et religiosis usibus deputetur, nisi a Nobis, vel ab aliis per Nos delegatis adprobetur. Nullum autem imposterum erigi sinemus, si sumptus designati non fuerint, unde sacrum aliquando per annum, et in die festo illius Divi, in cujus nomine Oratorium sit nuncupatum, peragi possit, et nisi sumptus assignentur pro ejusdem conservatione (4). Omnino autem id volumus, ut illius ædificatio procul sit a locis sordidis, et vilioribus ministeriis addictis (5): et nisi legitima facultas id indulgeat, nullo modo permittemus e privatis domibus ad Oratorium accessum, neque fenestrarum prospectum (6), unde sacrum exaudiri possit, comminantes easdem pœnas, quas supra indiximus (7). Comissationes, vel alia quæque profana in hisce Sacellis Deo dicatis fieri nefas est, penitusque interdicimus. In his eleemosynas exposcere non liceat, neque pelvim, aut capsulam exponere (8), nisi de scripto, obtenta a Nobis facultate. Ad pietatis, et devotionis incitamentum juvat aliquoties ea adaperire, ut prætereuntes ad Deum precandum illiciantur, sed si campestria sint, et in lo-

(1) Bened. XIV. Notif. III. Vo. III. Et Synod. Hieronym. Columm. P. II. Cap. II.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. V. Et Hieronym. Columm. P. II. Cap. X.

(3) Eadem Synod. ibi.

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(5) Synod. Jacob. Boncomp. ivi.

(6) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(7) Cap. præced. §. VII.

(8) Synod. Hieronym. Columm. ibi.

in locis solitariis posita, cavendum vigili custodia, ne bruta se se in illa intromittant, alioquin occludantur (1).

III.

Munditia curetur in pariete, et pavimento, quod ex lateribus, aut lapidibus connectatur, ut planam habeat superficiem, ex qua Crux nulla resultet, sive incisa marmori, sive tessellata lapillis, et si quæ fuerit in pavimento, omnino deleatur (2). Nec sint desides ii omnes, ad quos Oratoria pertinent, ut mundities undequaque servetur. Itaque abradantur sordes omnes, squallor omnis discedat: singula hebdomada pavimentum verratur: si lutum inhæserit, radula eradatur: parietes albario inducto niteant: sereno, siccoque cœlo fenestræ pateant, ut situs evanescat. Altare mappis mundis, et integris convestiatur: Illa omnia, quæ Sacrificio deserviunt, si non splendida, et pretiosa, certe munda, et integra sint. Sacrarium ipsum sordes excludat, apteque disposita omnia contineat. Linea omnia, albæ, amictus, superpellicia, mappæ, et si quid est aliud divini cultus gratia paratum, separatim ab indumentis domesticis, et profanis laventur, et multo magis purificatoria. Omnia detrita reficiantur, et renoventur. Curent Parochi, et Capellani, ut, quæcumque in loco sacro indecora sunt, arceantur, et Sacerdotes ibi detrectent Sacrum facere, ubi non omnia ad honestatem, et munditiam composita sint. Curetur etiam diligenter, ut exterior Sacelli pars circumcirca munda sit: non sordes adsint, non frutices, non herba altior. Quæ quum sanctissimus Dominus noster Pius VI. in Encyclica sua (3) ad Episcopos magno ardore commendaverit, nos inculcare non cessabimus.

IV.

Solliciti etiam, ut parochiales Ecclesiæ, quantum fieri potest, frequententur, illud confirmamus, quod Benedictus XIV. sanciverat (4). Igitur absque facultate nostra, Sacrum in hisce Sacellis fieri prohibemus, cum solem-

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Synod. ead. ibi.*

(3) *Anno 1775. 15. Decemb.*

(4) *Notif. III. Vol. III.*

solemnes dies aguntur Paschatis, Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Annunciationis, atque Assumptionis B. Virginis, sanctorum Petri, et Paulli, omnium Sanctorum, sancti Petronii, ejusque Sancti, cujus titulo Parochia decoratur juxta veterem hujus Diœcesis consuetudinem.

V.

Si cui vel ex fundatione, vel dotatione, vel constructione, vel acquisitione loci, in quo publicum Oratorium ædificatum sit, Jus patronatus competat, arrogare sibi nullo modo poterit, ut jura, vel officia parochialia violentur. Eam vero vigilem curam cuique Oratorii Patrono inesse firmiter volumus, ut eos tantum Sacerdotes ad Beneficium, si quod Oratorio adjunctum est, eligant, quos noverint idoneos, et moratos, dentque operam, ut nihil desit pro incruento Sacrificio, et reliquis religiosis functionibus peragendis; aliter jure, quo gaudent, spoliabuntur.

VI.

At ea etiam Oratoria, quæ domestica sunt, et a Sede Apostolica privatis personis conceduntur, ad se Nos revocant, ne quod religioni, et pietati nutriendæ datur, ad earum detrimentum detorqueatur. Quum enim idem sit Sacrificium, quod in publicis, ac in privatis Ædibus offertur, eædem ipsæ præscriptiones servandæ sunt, quoad munditiam, et nitorem tenendum, quas de illis indiximus. Ubicumque enim Sacrificium offeratur, terrena habitatio quævis quasi in cœlum convertitur, ut sæpe docet divus Joannes Chrysostomus (2). Quæ ergo tanta religio, quæ tanta mentis puritas, quis tantus splendor, atque elegantia inveniri, et excogitari potest, quæ divinæ Majestati, et Angelorum frequentiæ par esse possit? Sed si æquare tantam dignitatem non possumus, id certe curandum, ut nihil sordidum, nihil fœdum, nihil indignum habeatur (3). Illa igitur omnia diligenter observanda sunt, quæ et Pontificiis, nostrisque

(2) *Lib. VI. De Sacerd.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

que sanctionibus hac de re decreta sunt. Et primo Sacellum constituatur ab omni domestico usu secretum, neque in eo quidpiam profanum appareat, vel lascivum, nihil nisi religiosum, et sanctum, quod Ædiculæ decori, vel Altaris ministerio deserviat. In Altari extruendo singula omnino observentur, quæ de Ecclesiarum Altaribus paullo superius præscripsimus (1). Quum primum destinatur Sacellum, prius erit a delegato nostro visitandum, antequam Sacrum fiat: quod præstandum erit, si in alium locum Ædiculam transferre Indultario placuerit. Unica tantum Missa singulis diebus dicatur, nisi largior facultas a Sede Apostolicà fiat: ea tamen hora præscripta celebranda erit, nec tardius, nec citius. Diebus in Indulto exceptis a sacrificando abstinendum erit. Si die Nativitatis Domini valetudinis causa Sacrificium permittatur, tres e more Ecclesiæ Missæ dicantur (2). Nefas autem est largius Indultum protrahere, quam ipsius clausulæ patiantur. Semper autem Sacrificio interesse debent ii, quorum nomine privilegium concessum est, quorum morte penitus extinguitur. Sacella ista privata juribus parochialibus minime obesse debent. Sacramentum pænitentiæ (3) in his nequit administrari, nisi peculiari favore permissum sit: neque item sanctissima Eucharistia, nisi facultate a Nobis impetrata. Immo neque exinde sanctissimum Viaticum deferri ad Infirmum liceat, nisi a Nobis, vel a Vicario nostro generali facultas sit data. Multo minus, præciso necessitatis casu (4), Baptisma Infantibus conferri in hisce debet. Cetera, denique observari mandamus, quæ præcipit Benedictus XIV. in Epistola Encyclica, quæ ad calcem Synodi apponetur.

(1) Cap. præced. §. VI.

(2) Bened. XIV. In Ep. Encycl. ad Primatem, Archiep. et Episcop. Regni Poloniæ. §. 18.

(3) Idem Bened. XIV. Ead. Ep. §. 20.

(4) Idem Bened. XIV. ibid. §. 19. Vid. in Append. N. IX.

VII.

At Sacerdotes, quicumque ii sint, qui in hæc domestica Sacella ad sacrificandum advocentur, minime credant, quod domesticis parietibus inclusi Sacrum faciant, se esse solutos iis legibus, et præscriptionibus, quæ in publicis Ecclesiis retinentur. Non prætermittant igitur

igitur se totis animi viribus ad tremendam illam actionem præparare, nec post nugas, et vana colloquia, præsertim cum mulieribus habita, mente effæta, et languida Altari se sistant. Quum Sacrum faciunt, veste talari, nigrique coloris semper utantur. Nec horam constitutam a Nobis prætergrediantur, alioquin pœnis ex arbitrio nostro plectentur. Si qui vero Sacerdotes tum sæculares, tum regulares hisce decretis minime obtemperaverint, facultate Nobis a summis Pontificibus, et Tridentina Synodo (1) data in delinquentes animadvertemus, et suspensionis pœnam indicemus, et Sacellum interdicto supponemus.

(1) *Sess. XXII. Decret. de obser. et evit. in celeb. Missa.*

VIII.

Sed monendi sunt et ii omnes, qui Apostolico favore gaudent, ne gratiose sibi concessa munera ad desidiæ fomentum, et contemptum religionis usurpent. Sunt enim quidam, qui Sacerdotes sollicitant, ut festinantius se gerant in augusta Sacrificii litatione. Sunt alii, qui numquam finem faciunt ceteris mundi negotiis exigendis, tum dissipatis in varia studia cogitationibus ad Sacrum audiendum accedunt, quos reprehendit divus Joannes Chrysostomus (2). Sunt etiam Mulieres delicatulæ, quæ lentissime e lecto surgunt, et meridie jam inclinante, impexæ, situ obsitæ, vix tectæ, Sacellum subeunt, nec, qua par est, reverentia in summi Regis conspectu consistunt. Aliæ vero in ornatu corporis procurando ad scrupulum occupatæ moras longiores interponunt, ut aliquando Sacerdotes sacris induti vestibus eas diu cunctantes opperiri debeant (3), et non raro subdubitent, horam ad sacrificandum præstitutam effluxisse. Cavenda igitur hujusmodi interversio est, et eo diligentius, quo sub fovendæ pietatis, et religionis prætextu hi favores obtinentur. Ceterum exhortamur eos omnes vehementer, quibus hoc privilegium impertitum est, ne eorumdem pietas intra domesticos parietes tantum contineatur, sed aliquoties erumpat, et prodat se foris, et luceat coram hominibus, et ad publicas

(2) *In Ps. V.*

(3) *Bened. XIV. Notif. XIV. Vol. II.*

blicas Ecclesias, et præsertim ad suas Parochias, ut monet Tridentina Synodus (1), accedant. Nam præter boni exempli fructum, alias capient utilitates: quippe, ut ait divus Joannes Chrysostomus (2): *precari etiam domi potes; ita vero precari, ut in Ecclesia, non potes, ubi tanta patrum frequentia, ubi clamor unanimiter ad Deum emissus. Non perinde exaudieris, quum penes te solus Deum precaris, atque ubi cum fratribus tuis. Hic aliquid est amplius, nempe concordia, et consensus, charitatis vinculum, et Sacerdotum orationes.*

(1) *Loc. cit.*

(2) *Homil. III. De incompreben.*

CAPUT IX.

De Reliquiis et Sanctorum Imaginibus.

I.

QUantæ utilitates e Sanctorum Reliquiis proveniant Civitatibus, et iis omnibus, qui easdem intimo cordis affectu colunt, et Sanctorum, quorum exuviæ sunt, auxilium implorant, nullis verbis exequi possumus. Sanctorum corpora, ait divus Joannes Chrysostomus (3), sunt adamantini, et inexpugnabiles muri Civitatibus, et tamquam excelsi quidam scopuli undique prominentes. Et nihil aliud sunt Martyrum capsulæ, quam securi portus, ac spiritualium laticum fontes, et inviolati opum thesauri, qui numquam exhauriuntur. Hinc sancta Tridentina Synodus, quæ doctrinam suam ad Fidei dogmata stabilienda, et firmanda ex tota Ecclesiæ antiquitate, velut argumentosa apis decerpsit, decernit (4), utile esse Sanctos cum Christo regnantes invocare, ad eorum orationes, opem, et auxilium confugere, ipsorumque Reliquiis venerationem, atque honorem deberi, et aliter sentientes anathemate damnat.

(3) *Homil. de laudibus Martyr. Ægypt. Et Homil. IV. de Laud. Pauli. Et Homil. De Sanctis Martyr. Tom. II. Edit. Montfor.*

(4) *Sess. XXV. In decret. de Invoc. et Vener. Sanct. et Reliq. et Imag.*

II.

Quia vero et in iis, quæ optima sunt, absona

obrepere possunt, nisi certus modus, et regula praescribatur, quae sequuntur, observari volumus. Tabulae, litterae authenticae (1), et documenta quaelibet, quibus sacrarum Reliquiarum veritas comprobatur, in Tabulario Ecclesiae diligenter a Rectore custodiantur, ut in visitatione episcopali, et alias, quum opus fuerit, expromi possint. Reliquiae singulae in catalogo describendae sunt, isque in Sacrario patenti loco expositus servetur. Ne quid superstitiosum (2), aut fictitium invehatur, nullus sive saecularium, sive regularium ullas Reliquias adorandas publice proponat sine recognitione, et approbatione nostra. Si quae sint vel ignotae, vel dubiae fidei, ad venerandum non exhibeantur (3); sed in vasculo mundo recondantur seorsim ab aliis. Nulli fas sit aperire arculas, et laxare sigillum, in quibus includuntur (4). Decenti ornatu vestiantur, nec nudae deosculandae offerantur, sed crystallo contineantur. Nomen illius Divi, cujus exuviae sint, inscriptum appareat. Reliquiis in altari expositis, duo saltem ardeant cerei (5). Nullus laicus audeat easdem de loco ad locum transferre; sed Sacerdotis munus erit, qui superpelliceo, et stola indutus de loco, ubi asservantur, ad Altare deferet, et idem de Altari ad Repositorium revehet. Ubi publice exposita sit sanctissima Eucharistia, numquam adjungi Reliquiae debent: neque cum ea deferantur in publicis Supplicationibus, neque sub umbella collocentur, neque sub ea circumgestentur, praeter eas, quibus per sacram Rituum Congregationem haec honoris praerogativa conveniat. Beatorum Reliquiae in publicis Supplicationibus nequaquam deferendae sunt; sed licebit tamen eas exponere, quibus concessum fuerit in decreto Beatificationis. In iis Ecclesiis, in quibus Reliquium insigne habeatur (hujus autem generis essent totum corpus, sive ossa omnia, vel integrum caput, vel crus, vel brachium, vel illa pars corporis, in qua Martyr esset passus) redeunte die illius Sancti, cujus Reliquium sit,

(1) *Synod. Hieronym. Column. P. II. Cap. I.*

(2) *Ex Trident. l. cit. Et Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. VII.*

(3) *Synod. Hieronym. Column. ibi.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

um sit, Clerus earumdem Ecclesiarum recitet Officium, et Missam ejusdem (1); modo tamen ejus Reliquii nulla sit dubitatio, et nomen Sancti illius in Martyrologio Romano sit enunciatum. Reliquiæ insignes mobilibus pretiosis Ecclesiarum, et piorum locorum accensentur: idcirco nisi prius Beneplacitum apostolicum impetretur, alienari non possunt (2), quin pœnæ a Jure latæ incurrantur.

(1) *Decret. Congr. Rit. 12. Augusti. 1691. Et 8. Apr. 1628. Et ambæ Syn. Laud. ibi.*

(2) *Extravag. Ambitiosæ.*

III.

At imagines Christi, Deiparæ, et aliorum Sanctorum saluberrime retinentur, et magna utilitate coluntur; ut enim optime docuit divus Joannes Damascenus, invictus sacrarum imaginum propugnator (3), quum nos corpore etiam constemus, nec sine medio aliquo ad rerum a sensibus remotarum considerationem pervenire valeamus, indigemus, ut per ea, quæ nobis familiaria, cognataque sunt, sursum attollamur: neque enim Gentilium more imaginum materiem colimus; sed ex materia sensibus objecta in id, quod exprimit, consurgimus: *siquidem honor, qui imagini habetur, ad exemplar transfertur*, ut ait divus Basilius magnus (4). Dum autem hæ pictæ, vel sculptæ imagines oculis obversantur, peracta salutis mysteria menti succurrunt, Sanctorum merita, et partæ victoriæ, eximiæque eorum virtutes, et qua potiuntur sempiterna felicitas, et qua apud Deum pollent auctoritas in memoriam revocantur, atque ita mens, quasi affrictu quodam incitata, ad agendas Deo gratias, ad virtutem persequendam, ad Superum opem implorandam, ad æternæ vitæ gaudia desideranda stimulatur. Imago siquidem, ait idem Joannes Damascenus (5), *monumentum quoddam est, et quidquid liber est iis, qui litteras didicerunt, hoc imago est illitteratis, et rudibus, et quod auditui præstat oratio, hoc visui confert imago; per mentem ipsi conjungimur*. Hanc doctrinam luculenter complexa Tridentina Synodus docet (6), imagines Christi, Deiparæ Vir-

(3) *Orat. I. de Imaginib.*

(4) *Apud. eumd. Joan. Damasc. Orat. III.*

(5) *Orat. I. §. 17.*

(6) *Loc. cit.*

ginis, et aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas, et retinendas, eisque debitum honorem, et venerationem impertiendam, *non quod credatur inesse in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræsentant, ita ut per imagines, quas osculamur, et coram quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur*. Et subdit, ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi, *non solum, quia admonetur populus beneficiorum, et munerum, quæ a Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per sanctos miracula, et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur; ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem vitam, moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, et ad pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit, aut senserit, anathema sit*.

I V.

Ne vero tam sancta res ad perniciem vertatur animarum, monendi e Concilii ipsius præscripto rudiores sunt, ut si qua Sacræ Scripturæ narratio picturis, aut figuris exprimenda sit, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Mandat etiam sancta Synodus, ne celebratione Sanctorum, ac Reliquiarum visitatione homines ad comissationes, atque ebrietates abutantur, quasi dies festi in honorem Sanctorum per luxum, ac lasciviam agantur. Inhærentes etiam sanctæ Synodi menti curabimus, ut nihil inordinatum, nihil profanum, nihil inhonestum appareat, quum domum Dei deceat sanctitudo. Quod ut plenius peragamus, volumus imposterum (1), ut nemini liceat ullo in loco, vel Eccle-sia,

(1) *Amba Synod. Nostra ibi.*

sia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi a Nobis approbata fuerit, nec nova admittenda miracula, nisi a Nobis rite probata. Omnino a sacris imaginibus exclusum volumus quodcumque minus modestum, minus verecundum. Vigilent Parochi, et Vicarii foranei (1); et nacti imaginem aliquam sive in tabulis, sive in parietibus profane, lasciveque depictam, curent eamdem velari, quin et deleri, facto prius nobiscum verbo, vel cum Vicario nostro generali. Neque hic prætermittimus (2), enixe deprecari in visceribus Christi, ut tabulæ quælibet parietibus domorum appositæ, sive quid sacrum, sive profanum effingant, omni vacent offensione, ab iisque omne impudicum, et lascivum absit. Nam quo sunt formosiores, eo funestius incautorum pudicitiam prædantur. Sed et Pictores caveant, ne impudicas imagines pingentes, perpetui scandali documentum, et miserum animarum offendiculum relinquant. Neque dum Sanctos, aut Sanctas (3), depingere moliuntur, viventium virorum, aut mulierum formam, et similitudinem exscribant, multoque minus amasios, aut amasias sub specie cœlituum pingant. Flagitiosum est enim cœlituum sanctitatem, et puritatem hisce turpitudinis simulacris dehonestare.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

V.

Neque in iis tabulis, quæ Altaribus apponuntur, induci debet effigies alicujus Ecclesiæ fundatoris, vel patroni, aut alicujus de ipsa benemeriti, sive vivat, sive decesserit. Si qua imago (4), vel vetustate, vel situ defloruit, facto nobiscum verbo, aut renovetur, aut nisi ob excellentiam, peritorum judicio, sit conservanda, omnino deleatur. Si qua insigniter deformis effecta sit, aut in meliorem formam redigatur, aut auferatur. Præcipimus autem sub pœnis Nobis arbitrariis, ne dum Beatæ Virginis icon, aut sanctissima Eucharistia per octavam Corporis Christi per vias publicas solem-

(4) *Amba Laud. Syn. ibi.*

solemniter circumferuntur, in aulæis, et tabulis appensis (1) quidquam lascivum, vel ridiculum appareat. Parochis, et Ecclesiarum Præfectis incumbat, vias pervadere, et diligenter investigare, priusquam sacra Supplicatio peragatur, et efficere, ut hæc omnino amoveantur, aut ad Nos deferre, qui pro potestate et indecora profligabimus.

V I.

Nullo modo ferendum est, ut salutiferæ Crucis signum, et Deiparæ, et Sanctorum imagines (2) in locis sordidis, et vilissimis collocentur; atque adeo neque ibi imposterum constituantur, et si quæ sunt, amoveantur. De cultu, nec non de imaginibus illorum, qui ab Ecclesia nondum sunt inter Sanctos, aut Beatos adscripti, serventur decreta ab Urbano VIII. (3), aliaque a Sede Apostolica edita. Divinæ Personæ imaginem (4) humanis oculis intuendam exhibere liceat illis dumtaxat lineamentis, sub quibus sacris litteris narrantibus se aspectabilem præbuit. Nihil porro in hisce picturis (5) ab historiæ divinæ, vel ecclesiasticæ veritate discordet, et dignitas, et gravitas religionis ubique refulgeat.

V I I.

Quum ex Reliquiis, sanctisque imaginibus tot capiantur utilitates, par est, eas nos religiosissime colere, ut ea bona, quibus affluunt, nobis conciliemus. Equidem de sanctis cogitare, eorum gesta mente revolvere, eosque quasi præsentes intueri; mirabiles solet excitare amores virtutis. Divus Athanasius adfirmat (6), magnum sibi lucrum obvenire ex sola divi Antonii Abbatis recordatione. Et de divo Francisco ita testatur divus Bonaventura (7): *ex recordatione sanctorum omnium, tamquam lapidum ignitorum in deificum recalescebat incendium*. Hæc autem tam salutaris recordatio numquam melius reviviscit, et alitur, quam objectis eorumdem exuviis, et imaginibus. Ad eas igitur totis animi viribus

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Bened. XIV. Notif. VI. Vol. IV. Et ambæ Synod. Nost. ibi.*

(3) *Ann. 1625. 13. Martii.*

(4) *Bened. XIV. de Canonit. Sanct. Lib. II. Cap. II.*

(5) *Ambæ Nost. Syn. ibi. Et Bened. XIV. Encycl. Sollicitudini. An. 1745.*

(6) *In Proemio Vitæ D. Ant. Abb.*

(7) *In ejus Legenda Cap. IX.*

viribus confugiamus, coram ipsis humillime procumbamus, devote exosculemur, eorum patrocinium imploremus, ut nos peccatis ereptos, et virtutibus auctos in æterna tabernacula recipiant.

CAPUT X.

De Indulgentiis.

I.

QUum Christus Dominus magnam hanc, excelsamque domum Ecclesiam condiderit, suo sanguine emundaverit, Sacramentis munierit, et omnibus ornamentis instruxerit, ut tamen magis amorem suum, clementiamque in eam testatam faceret, opulentissimum etiam suorum meritorum thesaurum eidem reliquit, quæ per mortem, cruciatusque suos congessit: præclara quoque merita B. M. Virginis, sanctorum Apostolorum, et Martyrum, aliorumque Justorum ipsi contulit, et donavit. Hinc felix eorum conditio, qui in hac domo continentur, ac felicior illa tanta sanctæ communionis necessitudo, ut qui unius moris sunt, et ambulant cum consensu, tamquam bene morati filii, tantarum opum participes evadere possint. De quocumque, qui in hac domo versatur, sollicita est ipsa Ecclesia, ne in tanta bonorum spiritualium abundantia, inopia conficiatur: *velut enim operibus quibusdam totius populi purgatur, et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus, et fletibus plebis redimitur a peccato, et in homine mundatur interiore. Donavit enim Christus Ecclesiæ suæ, ut unum per omnes redimeret, quæ Domini Jesu meruit adventum; ut per unum omnes redimerentur*, ait divus Ambrosius (1). Qui huic tam magnæ domui præsunt, quum claves acceperunt, plenam scilicet ligandi, atque solvendi potestatem, eosdem distribuendis ex hoc thesauro spiritua-

(1) *Lib. I. de Pænit. Cap. XV.*

ritualibus divitiis præposuit Christus, et præcipue Apostolorum Principem sanctum Petrum, Romanosque Pontifices in ejus locum sufficiendos usque ad sæculi finem, qui, justa causa flagitante, de tam amplo, immensoque thesauro sumerent, quod in commissæ sibi plebis utilitatem effunderent. Licet enim per pœnitentiæ Sacramentum immania etiam crimina, pœnæque æternæ condonentur; temporariæ tamen pœnæ luendæ adhuc supersunt, quas quum perpauci piis operibus, dignisque pœnitentiæ fructibus abolere satisfaciendo contendant, *tota Ecclesia*, ut idem sanctus Ambrosius ait (1), *suscipit onus peccatoris, cui compatiendum et fletu, et oratione, et dolore est, et quasi fermento ejus se totam conspergit, ut per universos, ea, quæ superflua sunt, in aliquo pœnitentiam agente, virilis misericordia, aut compassionis, velut collativa quadam admixtione purgentur*. Atque hæc de communi thesauro sumpta collatio, Indulgentiarum nomine continetur, quæ et tota antiquitate firmantur, et iis, qui bene se comparant, certissime conceduntur. Hinc sacrosancta Synodus Tridentina (2) Indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum docet, et præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserant, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negent.

(1) *Loc. cit.*

(2) *In Decret de Indulg. Sess. XXV.*

II.

Igitur Parochorum, et Concionatorum (3) curæ esse debet, quod ut faciant enixe precamur, et mandamus, ut doceant populum, quanta reverentia Indulgentias prosequi debeat, et per eas, quot fructus ferre possit, et iis neglectis, quot debitis obstrictus maneat. Doceant in hoc Indulgentiarum consequendarum studio multos efflorescere actus virtutum. Fides enim in hac Indulgentiarum susceptione emicat, qua fideles Christi merita, et Sanctorum credunt, et Ecclesiæ auctoritatem

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. IX.*

tem agnoscunt, et in materna ejus charitate conquiescunt. Spes firma excitatur ad haurienda Christi merita, et Sanctorum: tum devotio erga Sanctos cum Christo regnantes, tum erga Romanam Ecclesiam, et apostolicam Sedem reverentia confirmatur, tum accenditur religio, ut pro hæresum extirpatione, et Ecclesiæ totius amplificatione, et utilitate preces fiant. Neque vero per has indulgentias relaxatur pœnitentiæ spiritus, sed potius provocatur, quum non nisi vere pœnitentibus prodesse queant. Divus Antoninus docet (1), *non credendum, quod propter has indulgentias generales minus teneantur agere pœnitentiam in hac vita*. Et Benedictus XIV. (2) cum aliis eximiis Doctoribus docet, fideles indulgentiarum causa negligentes minime fieri, ut pro expurgandis criminibus alia pietatis opera Deo persolvere detrectent. Quum enim ancipites sint, utrum re ipsa indulgentiam sibi meruerint, stimulo quodam incitantur, ut pro cœlesti hoc thesauro tutius comparando, varias salutaris pœnitentiæ rationes aggrediantur: ex alia parte injuncta pietatis opera, si fiant, studium religionis adaugent, et quamdam facilitatem inducunt, ut illis similia suscipiantur, quod ferme quotidiana experientia comprobatur. Hinc constat, viros sanctos, ut ex eorumdem vitis apparet, fuisse admodum studiosos indulgentias lucrandi; sed tamen semper incubuisse in alia pœnitentiæ opera, ut certius sibi divinam clementiam conciliarent. Idcirco et Parochi, et Concionatores in hoc insistant, ut populus ita indulgentiarum amore teneatur, ut dignos pœnitentiæ fructus facere non prætermittat. Non enim desidibus, et dormientibus, et voluptuosis divinæ misericordiæ munera impertiuntur, sed fervidis, et vigilantibus, et crucem Christi libenter ferentibus.

(1) *Part. I. Tit X. Cap. III. §. 3.*

(2) *Notif. XII. Vol. III.*

III.

Quum autem, Tridentina Synodo mandante (3), coruptelæ, et abusus abolendi sint, qui indulgentiarum

(3) *Laud. Decret.*

nomine irrepere consueverunt, Nos in iis eliminandis omnem ponemus operam. Et primo omnis species quæstuosæ cupiditatis removenda est, *ut cælestes hos Ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant*, ait ipsa Tridentina Synodus (1). Propterea capsulis (2) pro colligendis eleemosynis nullum appendatur indulgentiæ diploma, nullique hinc inde ardeant cerei consistentes in arcula, ne captiosus videatur cultus ad corrogandam pecuniam comparatus. Eleemosynæ autem inde collectæ (3) vel Ecclesiæ necessitatibus inserviant, vel aliis usibus, pro quibus oblatæ fuerint, secus pœnis arbitrio nostro latis animadvertemus: et graviores quidem pœnas dabunt, qui vel ementitas, et minus legitimas indulgentias proposuerint, aut quarum tempus dilapsum sit. Ne autem ullus error, aut fraus se intromittat, nullus sive regularium, sive sæcularium, sive confraternitatum, aut societatum (4) exponat indulgentias non a Nobis de scripto approbatas. Atque has indulgentias, adhibitis duobus de Capitulo, Tridentina Synodus (5) debitis temporibus publicandas decernit: Nos proinde, ut hoc Synodi præscriptum diligenti executioni mandetur, curabimus. Quæ legitime impetratæ indulgentiæ fuerint, hæ in tabula descriptæ opportuno in loco Sacrarii pateant omnibus, adjecto concessionis anno. Harum autem authentica decreta in quovis Ecclesiæ tabulario custodiantur. Sunt etiam nebulones, improbique homines, qui indulgentias jactitant certis numismatibus, imaginibus, aut oratiunculis adnexas, et verba dant credulis, ut quæstum faciant. Hi sunt abigendi, et quando ad Nos deferantur, dignis pœnis plectentur.

(1) *Sess. XXI. Cap. IX.*
(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi. et Hieronym. Columna. P. II. Cap. IV.*
(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*
(4) *Amba Synod. nost. laud. ibi.*
(5) *Sess. XXI. Cap. IX.*

I V.

Quum Parochi in omnem plebis sibi commissæ utilitatem intendere debeant, curabunt a Sede apostolica indulgentias impetrare pro Sancti titularis, et dierum in ipsorum Ecclesiis solemniorum celebritate instituenda: pro-

da: proponentque ad Ecclesiæ valvas earumdem significationem a vesperis diei præcedentis ad exitum insequentis. At simul doceant, quibus conditionibus munire se debeant, qui iis bonis ditari cupiunt. Quædam enim opera injungi solent, quæ nisi accurate perficiantur, actum erit de earumdem acquisitione. Interea quæ frequentius imponuntur, sunt sacramentalis Confessio, et sanctissimæ Eucharistiæ perceptio. Sed Clemens XIII., ad dubitationes amputandas, facilioremque aditum parandum lucrandis indulgentiis, a sacra Rituum Congregatione edici mandavit (1), ut quoties sacramentalis Confessio indicitur pro indulgentiæ acquisitione, id accipi ita debeat, ut licet lethalis culpæ conscientia non habeatur, levia tamen peccata, vel etiam lethalia, quæ jam pœnitentiæ Sacramento detersa fuerint, Sacerdoti sint exponenda: ipsam autem Confessionem valere, si pridie diei festi peragatur: eos vero, qui piam habeant consuetudinem per singulas hebdomadas, nisi legitimo impedimento retenti fuerint, semel saltem pœnitentiæ Sacramento sese expiandi, neque a peracta Confessione alicujus lethalis se reos intelligant, aptos esse ad qualescumque lucrandas indulgentias, licet adjunctam haberent clausulam de Confessione actu perficienda (2). Qui captare indulgentias desiderat, debet contrito ac mundo a sordibus corde pro Ecclesiæ amplificatione, et incremento deprecari. Nec ipsæ indulgentiæ e privata pietate defunctorum necessitatibus transmittendæ sunt, nisi ex concedentis auctoritate id liceat.

V.

Regulares porro gaudentes facultate, ac indulto impertiendi Romani Pontificis nomine apostolicam benedictionem cum plenaria indulgentia, in illius communicatione servent in omnibus ritum, ac formam a Benedicto XIV. præscriptam (3). Item, quum Nos duabus anni solemnitatibus populo in Ecclesia congrega-

I 2 to, Ro-

(1) *Anno 1759. die 19. Mart.*

(2) *Vid. in Append. N. X.*

(3) *Encycl. Exemplis Predecessorum, 1749.*

to, Romani Pontificis auctoritate, ac nomine solemnem benedictionem plenariæ indulgentiæ largitione ad mentem Clementis XIII. (1) impertiri possimus, Regulares ab ea effundenda hisce diebus abstineant. Aliis diebus integrum erit iisdem apostolica concessione uti; non tamen absque permissu nostro de scripto impetrando, priusquam per publicas schedulas populo enuncietur dies de hujusmodi benedictione communicanda.

(1) *Constit. qua incipit. Inexaustum 1762.*

VI.

Quia vero nullum est temporis punctum, nec formidolosius, nec majoris necessitatis, quam mortis articulus, sancta Ecclesia benignissima, et providentissima parens, priusquam aliquis ejus filius immensum æternitatis oceanum subeat, amanter prospexit, ut quasi e littore solvens commeatu provideatur, plenaria ei indulgentia impertita; de qua re libro secundo agemus in Capite de Sacramento extremæ unctionis.

VII.

Quæ quum ita sint omni conatu, et contentione curemus, ut tanta spiritualium bonorum dote locupletari possimus; ita tamen suavissima divina pietatis ubera exsugamus, ut nec animi mollitia, et teneritate languescant, nec congruæ pœnitentiæ, et satisfactionis spiritus refrigescat. Nam meminisse debemus, ut vere, et graviter a Tridentina Synodo est dictum (2), totam christiani hominis vitam perpetuam esse debere pœnitentiam.

(2) *Sess. XIV. De Extrem. Unct.*

CAPUT XI.

De Jejunio, et Quadragesima.

I.

NUlla ferme disciplinæ christianæ pars est, quam illustrioribus præconiis, laudibusque adsperserint sancti Pa-

cti Patres, quam jejunium. De eo divus Hieronymus ait (1): *Jejunium ceterarum virtutum fundamentum est, et sanctificatio, atque pudicitia, sine qua nemo videbit Deum: gradus præbet ad summa scandentibus.* Divus Ambrosius inquit (2): *quid est jejunium, nisi substantia, et imago cœlestis? Jejunium refectio animæ, cibus mentis est jejunium, vita est Angelorum jejunium, culpæ mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratiæ, fundamentum est castitatis: hoc ad Deum gradu citius pervenitur.* Eloquentissime de jejunio disserens divus Basilius Magnus, ait (3), *jejunium precationem transmittit in Cœlum, dum ipsi est alarum loco ad supernum iter conficiendum. Jejunium domorum incrementum est, sanitatis mater, juventutis pædagogus, ornamentum senibus, bonus comes viatoribus, tutus contubernalis conjugatis.* In eamdem rationem locuti sunt ceteri. Sed ad has splendidas commendationum voces jam pene obsurdescimus, Filii dilectissimi, et in ea incidimus tempora, quibus nomen, et species jejunii manet, sed res ipsa defluxit, et apud plerosque ne species quidem jejunii est: adeo quippe jejunii diebus se cibis ingurgitant, et eduliorum varietati, et ferculorum multitudini, exquisitisque epulis, et mensis opiparis indulgent, ut non addicti sanctitati dies, et carnis castigationi deputati, sed licentiæ, et voluptatibus sacrati videantur.

(1) *Epist. CXXX. ad Demetriad. Edit. Vallars.*

(2) *In Lib. de Elia, et jejunio Cap. II.*

(3) *Hom. I. de jejunio.*

II.

Huic tantæ corruptelæ in dies magis invalescenti remedium adhibere non destitit de tota Ecclesia optime meritus Benedictus XIV; qui primo hujus nostræ Ecclesiæ gubernacula tenens, jejunii religionem in aliquam veteris splendoris partem traducere conatus est, editis pluribus perdoctis, et ecclesiastico ardore plenis institutionibus (4). Multo vero magis id perficere perrexit in arce totius Ecclesiæ collocatus, sapientissimis promulgatis pro tota Ecclesia Constitutionibus. Atque priores illas

(4) *Notif. IV. XV. XVI. Vol. I. Et IX. Vol. III.*

illas quidem in omnium nostrorum manibus versari cupimus; has vero accurate perpendendas (1), et omnino executioni mandandas volumus, tamquam peremptorias sanctiones, quas etiam in calcem (2) Synodi amandamus. Ab hisce nitidis, incorruptisque fontibus hauriant Parochi, et omnes pietatis magistri, unde fideles de jejunii necessitate, et merito instruere valeant: idque præsertim peragant animarum Curatores, recurrente sacro Quadragesimæ tempore, vel quum populo statos jejunii dies enunciabunt, quam denunciationem ut faciant, omnino mandamus.

(1) *Constit.* Non ambiginus. *et* In suprema *et* Si Fraternitas *ad Archiep. Compost.* 1744. *et alia*, Libentissime 1745.

(2) *Append. N. XI.*

I I I.

Et Quadragesimæ quidem jejunium, quod omnium solemnissimum est, et majori sanctitate obeundum, die Dominica Quinquagesimæ (3) Parochi ab Altare frequentiori populo indicant, perlegantque Edictum nostrum de Quadragesimæ observantia (4). Detestabilis autem irrepsit apud plures christianos consuetudo, ut vino obruti, immodicis epulis exsaturati, comissationibus confecti, jocis, choreisque defatigati, in sacrum cinerum diem introeant; magnamque noctis partem, post editum etiam e campana signum, propudiosis saltationibus tribuant, turpissimeque debacchentur, non tamquam sanctissimum tempus complexuri, sed ut fœdissimo scorto obviantes. In quam dementissimam consuetudinem acriter invehitur divus Basilius Magnus (5). Sunt et alii, qui prima Quadragesimæ Dominica, baccanalium furore nondum restincto, choreas agitare pergunt, profanisque oblectamentis se immiscere. Hos omnes sacratissimi temporis violatores pro criminis gravitate punire non prætermittemus (6), obsecramusque animarum Præsides, ut hanc procacitatem magno verborum pondère exterminare contendant.

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. VIII.*

(4) *In Append. N. XII.*

(5) *Homil. II. de jejunio.*

(6) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

I V.

Ut Quadragesimæ jejunium, sicut et alia, quæ per anni curriculum servantur, omni accurata ratione custodia-

stodiantur, promiscuis uti dapibus non licet iis, quibus vesci carnibus est permissum, ne exceptis quidem diebus Dominicis. Neque etiam in refectiuncula vespertina alios usurpare cibos possunt, quam qui diebus jejunii non interdicuntur, et quibus utuntur omnes jejunantes rectæ, et meticulosæ conscientiæ (1). Neque iisdem licet potiones lacte permixtas sumere, ut a Clemente XIII. definitum fuit (2), quum unius comestionis lege et ipsi teneantur. Ipsæ vero mensæ sive eorum, quibus carnium usus legitima auctoritate non est vetitus, sive eorum qui ab hac lege soluti non sunt, frugalius apparandæ sunt dapibus obviis, et parabilibus, et amputanda, et circumcidenda lautitia est. Non enim par est, pœnitentiæ dies deliciarum lenociniis, et eduliorum redundantia inficere, et mollire. Pueris etiam, et adolescentulis vetiti jejuniorum diebus cibi non permittuntur, etsi unius comestionis lege non obstringantur. Saluberrimum tamen erit pedetentim eosdem, et tempestive ad omnem servandam jejunii severitatem assuefacere, ut enascentes animi tumultus facilius reprimant: *pueri, veluti plantæ virides jejunii aqua irrigentur*, ait divus Basilius Magnus (3). Laxiores etiam de jejunio opiniones, et gulæ blandientes e summorum Pontificum præcepto laxas jejunii opiniones damnantium prorsus expungantur. Neque culpa vacare credendi sunt ii Domini, et patresfamilias, qui ad multam diem, et diutius, quam par est, horam prandii protrahentes famulis, et ancillis occasionem præbent jejunii præceptum violandi. Ceterum a cibis temperare parum prodesset, nec jejunium esset Deo acceptabile, gratumque, nisi et a peccatis abstineamus, inquiunt divus Basilius Magnus (4), et divus Joannes Chrysostomus (5).

V.

Caupones Edictum affixum teneant de observantia Quadragesimæ sub pœnis in eodem contentis, et quos cibos, et quibus apponere possint, ex eodem colligant.

Non

(1) *Bened. XIV. cit. Epist.* Si Fraternitas.

(2) *In Encycl.* Appetente. *an.* 1759.

(3) *Homil. II. de jejunio.*

(4) *Homil. II. de jejunio.*

(5) *Homil. III. ad Popul. Antioch. Edit. Maurin.*

Non prohibemus tamen, quin per Quadragesimæ dies, quemadmodum Prædecessores nostri indulserunt (1), vendi pro infirmis possint ova, butyrum, et carnes etiam; venditores tamen non patenter exponant venales cibos, nec se adjungant aliis comestibilium venditoribus; sed separatim consistant in locis ad arbitrium nostrum, vel nostri Vicarii generalis deputandis.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

VI.

Quia vero non omnes æqualiter jejunii leges ferre possunt, necessitate postulante, ab iis liberari aliquantum possunt, non ad gulæ libidinem, sed ad veræ necessitatis mensuram. Id vero temere faciendum non est; sed exquisito Medicorum judicio, et petita ab Ecclesia dispensatione. Et quod attinet ad Medicos alio in loco de suo munere, et obligatione commonefaciemus (2). Dispensatio vero quum Ecclesiæ suffragio, et potestate donetur, in Civitate a Nobis, vel a Delegatis nostris, in Diœcesi a Parocho de scripto tribuetur. Illi igitur gravissime a Parochis, et Confessariis increpandi sunt, qui, nulla petita ab Ecclesia facultate, dapes comedunt diebus jejunii interdictas, judicantes se justam habere causam jejunii legem solvendi. Ut ut enim causa justissima sit, exhibenda est ecclesiasticis legibus reverentia, et ab Ecclesia exposcenda facultas, præsertim pro Quadragesimæ tempore. Sed quamvis Medici etiam consensio exquirenda, et impetranda sit (3); in Diœcesi tamen, ubi nullus sit corporum Medicus, solius Parochi facultas sufficiat (4). In Monasteriis vero, aliisque mulierum contuberniis Medici testificatio a Confessario quoque subscribatur. Denique Domini, et patres familias meminerint ad filios, et famulos extendi neutiquam posse facultatem pro uno, aut altero familiæ obtentam. Quod si illi allegent gravius impendium parari, quam ferri possit ex duplici epularum genere, pro sua prudentia judicet Parochus, et quando nequeat gravamen duplicis expensæ a familia sustineri, in facul-

(2) Lib. IV. Cap. II.

(3) Ex Constit. Bened. XIV. In suprema.

(4) Card. Palæot. Archiep. Bonon. P. VI. Edict. Quadrag.

cultate de scripto concessa, totam familiam complectatur.

VII.

Illud tamen cavendum, ne quod necessitati tribuitur, ad licentiam usurpetur. Sciant ergo ii, qui ex Ecclesiæ benignitate dispensantur, unius comestionis lege, ut dictum est supra, teneri, nec carnibus, nisi salubribus, quæque iis conceduntur, qui affecta sunt valetudine, uti debere: cupedias vero ad solam voluptatem, et delicias comparatas, esse resecandas, ne Ecclesiæ indulgentiam ad inusitatas illecebras traduxisse videantur, et sub infirmæ valetudinis tegumento, cupiditatibus obtemperent. Commonendi etiam sunt vehementer, qui communem Christi fidelium pœnitentiam, ac disciplinam servare nequeunt, ne per alia pietatis opera, ut sua cuique devotio suggeret, peccata sua expiare, et Deo satisfacere negligant: *quinimmo sanandis vulneribus, quibus humana infirmitas sauciatur, diligentem adhibere studeant curationem, ut culpas de humano pulvere contractas dum casta jejunia decoquere non possunt, pia opera, orationum suffragia, et eleemosynæ munera redimant*, quemadmodum incredibili zelo præditus Benedictus XIV. hortatur (1).

(1) *In Constit.* Non ambigimus.

VIII.

Ad vos igitur Nos convertimus, dilectissimi filii, monentes, ut jejunii dies, tamquam fœnoris, et lucri, carissimos habeatis. Ilari, promptoque animo jejunio vos tradite, quod lutulentis animi sordibus exhaustis, Deo vos puros, et integros, et amicos sistet, et eo duce, Cœli viam arripietis, ex qua gulæ titillationibus deliniti misere deflеximus: *quoniam non jejunavimus*, ait divus Basilius Magnus (2), *exulamus a Paradiso; jejunemus igitur, ut ad illum revertamur*. Et divus Hieronymus (3) ait: *primus homo ventri magis obediens, quam Deo, de Paradiso in hanc lacrymarum dejectus est vallem....; ex quo solicite providendum est, ut quos saturitas de Paradiso expulit, reducat esuries*.

(2) *Homil. 1. de jejunio.*

(3) *Epist. XXII. Edit. Vallars.*

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere, et Sacramentalibus.

I.

TAnti est, hominem a veritatis semita extorrem, tot miseriis circumseptum, tot peccatorum vulneribus confectum, tantisque passionum procellis exagitatum ad viam rectam deducere, infirmum, et debilem corroborare, et, exhaustis peccatorum sordibus, virtutibus exornare, ut ea de causa necesse fuerit, Dei Filium de Cœlo demitti, nostràs infirmitates assumere, seque, inter Patrem et nos Mediatorem constitutum, reconciliare nos Deo, eidem nostræ salutis pretio persoluto, nobisque suæ passionis, et mortis communicatis promeritis, quibus et vulnera peccati malitia suscepta curarentur, et inopia nostra ditaretur. Scilicet id aperte innuit (1) illa tam accurate expressa, enarrataque similitudo pientissimi Samaritani, in qua descendens homo in civitatem Jericho (2) humanum genus intelligitur, cui vulnerato a latronibus, spoliato, jacenti, semineci post peccatum, Christus Jesus revera Samaritanus, hoc est custos unicus ipse noster, naturæ etiam communione propinquus effectus, vulnera ejus oleo, vinoque curavit, prius infundens oleum, quo foveret, tum vulne-

(1) *Magist. Sentent. Lib. IV. Distinct. I. Part. I.*

(2) *Luca X.*

vulnera alligavit, et supra jumentum suum imposuit vulneratum, *in quo ejus peccata vexit omnia, nec ovem Pastor despexit errantem*, ait divus Ambrosius (1). Itaque sanguine suo purissimo homini saucio medicinas spiritales admovit, quibus peccatorum omnium vulneribus mederetur. Has nos medicinas Sacramenta vocamus. Ipsa sunt nervi, et artus Ecclesiæ: sunt propugnacula, murique tranquillitatis nostræ, quibus tot periculis circumsessi vallamur, atque defendimur. Ipsa demum sunt veluti uberes quidam alvei, per quos Christi merita in nos derivant, modo se ad eorumdem susceptionem unusquisque nostrum pie, religioseque comparet.

(1) *Lib. 1. de Pœnitent. Cap. VI.*

II.

Quamobrem nihil fere est, in quo major Pastorum facultas, et industria se debeat effundere, quam in tradenda populis Sacramentorum disciplina. Hauriant igitur, et decerpant ex Romano Catechismo, et ex aliis lectissimis scriptoribus plenam de Sacramentis doctrinam, et in ea diligenter explananda frequenter versentur, doceantque, quæ utilitates ex eorum perceptione dimanent, et simul quibus animi, et corporis dispositionibus affecti esse debeant, qui ad illa accedunt, ut præstantissimæ, et sanctissimæ hæ res digne, et salubriter impertiri ipsis possint. Sed et ipsi, et alii quicumque Sacerdotes, quibus Sacramentorum administratio concreditur, meminerint, se ea vitæ sanctitate florere debere, eaque cordis munditia præstare, ut digni evadant Mysteriorum Dei dispensatores, ne, dum aliorum vulnera curant, misere ipsi saucientur (2). Hilari semper, promptoque animo præsto sint, nulla interposita mora, nullius difficultatis habita ratione, sepositaque personarum acceptatione, omnes in Christo benignissime complectantur (3). Si quis Parochi incuria absque Sacramentorum præsidio decesserit, ultra divinam indignationem, tamquam illius animæ reus, gravissimas Nobis luet

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. II. Cap. I. Et Hieron. Columm. P. I. Cap. VI.*

(3) *Eadem nostr. Syn. ibi.*

bis luet pœnas. Si Parochus intelligat, aliquem ex suis gravi morbo detineri, etsi non arcessitus, tamen accurrat, eum invisat, molles aditus captet, suavissimeque in ejus animum irrepat, et ad salutaria capienda remedia inflammet.

I I I.

Omnium fere Sacramentorum proprius administer est Parochus. Nullus proinde Sacerdos sine nostra, vel Vicarii generalis facultate, aut absque Parochi consensu, quem iis tantum præstabit, quos idoneos compererit, audeat Sacramenta dispensare, seclusa necessitate. Neque ullus Parochus in aliena Parochia Sacramenta administret, nisi vel necessitate flagitante, vel e consensu illius Parochi, in cujus ditione versatur; atque id intelligendum, quando aliena jurisdictio perturbaretur. Clavibus obserentur loca (1), in quibus Sacramentorum materies custoditur; claves autem penes se habeat Parochus, vel alteri Sacerdoti tradat, numquam vero laicis.

(1) *Amba Synodi laud. ibi.*

I V.

Quicumque Sacramenta administrare debent perspecta, et cognita illa omnia habeant, quæ ad rectam eorumdem confectionem, et administrationem conferunt. Accurate fungantur etiam iis cæremoniis, quæ ab Ecclesia institutæ sunt, et omni corporis habitu ita se componant, ut tota actio a viris fide, et Deo plenis proficisci videatur. Ad diversitatem cavendam, et ad ritum, et sacrarum cæremoniarum rectam rationem tenendam omnes Rituali utantur Benedicti XIV. jussu edito, et aucto. In Ecclesia superpelliceo, et stola, vestibusque decentibus induti ministrent (2); et illa omnia, quæ Sacramentis conferendis deserviunt, honesta, et nitida sint; nihilque a rerum divinarum majestate, et religione, quantum fieri potest, discordet. Absit vero, tamquam teterrimum monstrum, omnis turpis quæstus suspicio (3). Nihil petant, exigantve pro Sacramento-

(2) *Eadem nostr. Synod. ibi.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

mentorum collatione, aliter obnoxios se facient illis pœnis, quæ per sanctiones canonicas irrogantur.

V.

Meminerint autem omnes Sacramentorum ministri, eam esse retinendam in iis conferendis circumspectionem, ut opiniones probabiles, relictis tutioribus, prorsus declinentur, quum de Sacramenti valore agitur. Id quippe ex censura Innocentii XI. aperté constat (1), ne sanctum Dei nomen frustra interponatur, neve rebus divinis illudatur, et Sacramentorum effectus frustretur, qui non ex hominum arbitrio, et opinione pendent, sed ex Dei instituentis voluntate.

(1) *Propos. damnat. sub Num. 1.*

V I.

At Sacramentalia sic appellantur, vel quod soleant adhiberi ad Sacramenta efficienda, vel ministranda, ut efformatio crucis, benedictiones, orationes Ecclesiæ, vel quod aliquam exhibeant Sacramentorum virtutem, ut aspersio aquæ lustralis, usus rerum benedictarum ab Ecclesia, confessio generalis, tunsio pectoris, benedictio episcopalis, et alia hujusmodi: quæ quidem peccata venialia remittere, cum divo Thoma (2) Theologi docent, non equidem ex opere operato, quemadmodum Sacramenta, sed ex opere operantis; sive quod ex quodam motu detestationis peccatorum, sive quod cum aliquo motu reverentiæ in Deum, et in res divinas peraguntur, ut docet idem sanctus Doctor (3). Idcirco Pastores, qui omni ratione sibi creditis fidelibus opitulari debent, sedulo doceant, quanta ex hisce Sacramentalibus proficiscatur utilitas, et quibus modis percipiatur, et quantum ad se attinet, illa suppeditare procurent.

(2) *Tertia Parte Q. LXXXVII. Art. III.*

(3) *Ibid.*

CAPUT

CAPUT II.

De Sacramento Baptismi.

I.

SI quid est, in quo salubriter animarum Curatores collocare operam suam possint, profecto illud est, Baptismi dignitatem, præstantiam, et necessitatem docere, eximiosque effectus ab illo procreatos exponere. Quid enim præclarius, quid excellentius excogitari potest, quam ut homo abjectissimus iræ filius, miserabili Diaboli, et peccati servitute pressus, subito, et facillime diffractis vinculis in libertatem filiorum Dei sit traductus, divinæ naturæ particeps effectus, et Regni Cœlorum hæres, et nobilissimo virtutum comitatu instructus sit, idoneusque factus, qui bonorum omnium sit particeps, quæ in Ecclesia largissime impertiuntur? *Quid hac re mirabilius*, ait divus Joannes Chrysostomus (1), *quod sine labore, sudore, bonisque operibus justos efficiat? ... Quemadmodum scintilla mediam in pelagi voraginem incidens statim extinguitur, et evanescit, aquarum vi demersa; sic et omnis humana nequitia, quum in piscinam divinorum fluentorum inciderit, citius, faciliusque, quam scintilla, demergitur, et deletur.* Quare doceatur frequenter populus, ut se se gratum tantorum munerum largitori Deo præstet; et moneatur, quanta sedulitate efficere, enitique debeat, ne acceptum animi candorem deturpet, et Patrem, et Filium, et Paraclitum, quarum divinarum Personarum invocatione, et numine ablutus est, quasque in se hospites habet, ne per summum scelus abjiciat, et tanta sibi concessa munera corrumpat, sed ut bonorum operum accessione adaugeat. Verum et Parochi videant, qua diligentia curare debeant, ut tam ad salutem necessarium Sacramentum rite, et religiose omnibus conferatur.

(1) Homil. I. ad Illuminandos.

II.

I I.

Legitimus Baptismi minister est Parochus, vel alius Sacerdos a Parocho, vel a Nobis delegatus. Cogente autem necessitate, quilibet sine solemnibus cæremoniis baptizare potest; si tamen id efficere ei propositum sit, quod Ecclesia catholica in eo administrationis genere efficit, et modo usitata forma, et materia utatur. Digniori tamen personæ locus est relinquendus, et peritiori. Nam et obstetrices (1), quæ baptizare consueverunt, improbandæ non sunt, si interdum præsente aliquo viro, qui hujus Sacramenti conficiendi minime peritus sit, quod alias viri magis proprium officium videretur, ipsæ exequantur. Parentes tamen a prole baptizanda abstineant, si alius idoneus reperiatur; attamen si necessitate impellente id peragant, nulla inde spiritali cognatione, quæ conjugii officia impediat, implicabuntur. Si Parochi negligentia aliquem sine hoc salutari lavacro decedere contigerit, in eum graviter animadvertere non omittemus. Quum tenella sint infantium corpora, multisque periculis obnoxia, nefas sit ultra nonum diem (2) baptisma diferre. Quamprimum ergo deferantur baptisma suscepturi ad Ecclesiam, extra quam, necessitate cessante, vel non concessa a Nobis facultate (3), administrari illis numquam debet: et quando id contingat, in baptizatorum librum illius nomen, cui Baptismus collatus est, referatur. Etsi vero Baptismi administratio ad Parochos pertineat, non inde derogari volumus Metropolitanæ nostræ juribus, et Ecclesiarum Archipresbyteralium, quæ illesa servari mandamus (4). Si via longa sit decurrenda in afferendo ad Ecclesiam puero, optimum erit paullulum aquæ secum habere, ut ingruente periculo ablui possit (5).

(1) *Catech. Rom. de Bapt. num. 25. Et Synod. Jacob. Boncomp. Lib. II. Cap. II.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp ibi. Et Hieron. Column. Par. I. Cap. VII.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Jacob. Boncomp. ibi.*

(5) *Amba Synod. ibi.*

I I I.

Porro serio moneantur prægnantes matres, ut illa omnia declinent, quæ fœtui periculo esse possint, enixisque precibus Deum orent, ut, quem mundo pari-

turæ

turæ sunt, filius Christi membris adscribi, copularique queat: appropinquante vero partus tempore, conscientiam pœnitentiæ Sacramento rite componant, ne, obrepente mortis discrimine, imparatæ in diem æternitatis incidant.

IV.

Quotiescumque, necessitate suadente, domi baptizatus sit infans, inquirat diligenter Parochus, an illa omnia accurate servata fuerint, quæ ad Sacramenti validitatem pertinent: ubi nihil vitii deprehenderit, acquiescat: sin minus, conditione interposita, iterum baptizet. Et ubi parvulus convaluerit, vel cessaverit periculum, ad Ecclesiam deferatur, omissæque cæremoniæ suppleantur. Nec vero conditionata forma temere, nec passim, et sine delectu usurpanda est, sed ubi tantum prudens, et probabilis dubitatio subsit de valore Sacramenti; secus sacrilega res esset, et maculam irregularitatis importaret ex Romano Catechismo (1), id quod confirmat Benedictus XIV. (2).

(1) De Bapt. Num. 57.
(2) Notif. XVII. Vol. IV.

V.

Accidit non semel, ut expositi infantes inveniantur, atque ii aliquando testimonium accepti Baptismi in schedula descriptum, colloque suspensum gerant; nonnulli vero hoc documento careant. Si schedulæ auctor deprehendi possit, cui fides merito præstanda sit, unico illius testimonio Baptismus rite traditus satis comprobatur: quando vero ea certitudo non interveniat, sub conditione iterandus erit Baptismus, et multo magis, si nulla sint de collato Baptismo argumenta (3).

(3) Bened. XIV. Notif. VIII. Vol. I.

VI.

Si quis adultus Baptismum petat, volumus Nos fieri de ejus desiderio certiores (4), ut ipsius voluntas exploretur, ne quis ad hoc Sacramentum ficto, et simulato animo accedat, et ut prius bene iis omnibus imbuatur, quæ ad fidei doctrinam, et christianæ vitæ institutionem spectant. Idemque statuimus, quando hæreti-

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

reticus in catholicæ Ecclesiæ sinum recipi postularet.

VII.

Materia, seu elementum hujus Sacramenti est omne genus naturalis aquæ, quod sine ulla adjunctione aqua dici possit; ea tamen nisi necessitas incidat, benedicta esse debet vel Sabbatho sancto, vel pervigilio Pentecostes. Propterea hisce diebus Parochi omnes Civitatis ad Ecclesiam Metropolitanam conveniant, in Diœcesi ad Ecclesiam Archipresbyteralem, ubi sacer Fons asservetur, sacræque functioni decenter intersint. Hyeme molliatur frigus tepefacta aqua, ne infantis teneritas periculum ex frigore subeat. Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest; in minori tamen quantitate ex Rituali romano (1), cujus præscripta undequaque servanda sunt.

(1) De Bapt. Materia.

VIII.

Ex Apostolorum traditione semper catholica observavit Ecclesia, ut, quum solemnibus cæremoniis Baptismus conficitur, sacrum etiam Chrisma addatur. Hoc Chrisma eodem anno debet esse benedictum, feria quinta in Cœna Domini. Idcirco ad illud excipiendum mittatur (2) Sacerdos, vel Clericus in sacris constitutus ad Metropolitanam nostram: et in Diœcesi Parochis illud distribuat Vicarius foraneus, vel alius a Nobis ad id delegatus: vetus autem Chrisma cum bombyce, igne comburatur (3). Sit autem prope Fontem repositorium decenter concinnatum, in quo Chrisma in vasculo argenteo, vel saltem stanneo bene obturato sub clave servetur in usum Baptismi.

(2) Bened. XIV. Notif. XIV. Vol. IV.

(3) Pontif. Rom.

IX.

Fons autem baptismalis ad eam formam ubique erigatur, quæ a Prædecessore nostro Cardinali Jacobo Boncompagno præscripta fuit (4), quæ ita se habet: *Fons baptismalis ex marmore in sphæricam figuram excavatus, vel ære conflatus erigatur in parte commodio-*

(4) Lib. II. Synod. Cap. II.

L *ri, non*

ri, non procul ab Ecclesiæ janua: ampliori alveo lustralem aquam colligat, cui superemineat ex eodem lapide vas incisum, aptum recipiendæ aquæ, quæ ex ablutione pueri exciderit, per fistulam in scapo, vel columella conclusam transmittendæ in Sacrarium, sive fonti subterraneam piscinam, ideoque prope fontem nullum effodiatur sepulchrum. Conopæo tegatur ciborium, sitque coloris albi, vel saltem decentis. In laterali pariete fiat repositorium in quo sub clave serventur Olea sacra pro Baptismo, Rituale, duoque saltem mantilia munda. Supra fontem in pariete pingatur Christi baptismus in Jordane; columba superemineat picturæ: tum ferreis, vel marmoreis cancellis claudatur.

X.

Ex vetustissima Ecclesiæ consuetudine in sacra ablutione celebranda Patrini, seu susceptores adhiberi solent. Patrinus autem sit unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, et una, ut Tridentini Concilii decreto statutum est (1). Qui quidem susceptores monendi erunt, constitutum a sancta Ecclesia fuisse, ut non solum is, qui baptizat cum baptizato, sed etiam susceptor cum eo, quem suscipit, et cum ejus veris parentibus spirituali affinitate devinciatur, ita ut legitima nuptiarum fœdera inter hos omnes iniri non possint, atque inita dirimantur. Sed dolendum sane vehementer, tam sanctum cognationis fœdus ad flagitiosas sæpe consuetudines, gravissimumque incestus crimen traduci. Quod capite *Non licet*, et capite *Monachi* (2), cavetur, ne Monachi Patrini munere fungantur, ad Regulares omnes extendi volumus, itemque ad Clericos, ita ut iis saltem, qui sacris ordinibus sunt initiati, id minime liceat, nisi speciali a Nobis obtenta facultate.

(1) *Sess. XXIV. De Reform. Matrim. Cap. II.*

(2) *De Consecr. Distinct.* 4.

X I.

Non vero sine delectu aliquo hoc susceptoris munus cuilibet committendum est. Itaque ii tantum admittendi a Parocho sunt, qui a parentibus, vel ab iis, quo-

quorum interest, designati fuerint, iique arcendi, qui indigni sint, justisque de causis prohibeantur. Infideles ergo, et hæretici, publice excommunicati (1), interdicti, publice criminosi, et infames, qui Paschatis præcepto non obtemperaverint, qui Sacramento Confirmationis consignati non sint, impuberes etiam, et qui sana mente non sunt, qui ignorant rudimenta Fidei, ignotique homines ab hoc susceptionis munere repellendi sunt. Non enim nudum nomen esse debet (2), sterilisque cæremonia; sed susceptores omnes cogitare debent hac se lege teneri, ut sint velut sponsores, et fidejussores eorum, quos suscipiunt, ad ipsosque spectare, ut eosdem habeant, tamquam spiritales filios sibi ab Ecclesia commendatos, curentque diligenter, in christianæ vitæ institutis ita excoli, ut ii tales se in omni vita præbeant, quales eos futuros solemni cæremonia spoponderunt. Atque hæc palam faciunt, susceptores hujusmodi bonos magistros, et duces spiritalis vitæ esse debere: quo munere nec de fide male sentientes, nec inscitia laborantes, nec flagitiosi, nec malæ famæ homines, nec inepti defungi possunt. Ac propterea minus viros nobiles commendamus, qui aliquando obvium quemlibet de plebe pauperem ad hoc munus adsciscunt. Quî enim homo sordidus, et abjectus ullam hujus magisterii, et custodiæ partem sibi vindicare poterit? Si quis ex idoneis ad hoc munus electus, alium ceu procuratorem constituat, procurator ipse de scripto suæ procurationis testimonium Parocho exhibeat, hocque a Parocho ipso in Parochiæ tabulario asservandum erit, monito procuratore, nullam inter eum, et baptizatum (3), vel hujus parentes spiritalem cognationem obortam fuisse.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Catechis. Rom. de Baptis. Num. 26.*

(3) *Synod. Hieronym. Column. ibi.*

§ II.

Et quoniam iis, qui baptizantur, tamquam Dei filiis in Christo regenerandis nomen imponitur, curet Parochus, ne fabulosa, aut ridicula, vel inanium deo-

rum, vel impiorum ethnicorum nomina imponantur; sed eorum, qui ab Ecclesia, ut Sancti, Deoque cari coluntur. Divus Joannes Chrysostomus (1) hanc consuetudinem commendat, ut nomina filiis addantur eorum, qui in virtutibus excelluerunt, improbatque eos, qui temere nomina imponerent: idque etiam præcipit Ecclesia faciendum (2). Multæ enim erit utilitatis puerulo, cum adoleverit, illud ipsum nomen ejus auribus circumsonare, qui, quum viveret, omni virtutum genere floruerit, et ad pie vivendum, et ad imitanda exempla excitabitur, ejusdemque patrociniis protegetur.

(1) *Homil. LI. in Genes.*

(2) *Ritual. Rom. de Baptismo.*

X I I I.

Habeant Parochi bene compactum librum (3), in quo distincte describantur nomen, cognomen, pater, et mater, et patria baptizatorum, adjecto die, et anno. Patrini etiam, et Matrinæ nomina, et cognomina apponantur. Qui liber melius conflari nequit, quam consulto Rituali romano. Librum hunc caute custodiant Parochi, neminique legendum, et percurrendum tradant, nisi ipsi præsentes sint. Caveant vero Parochi (4), ne in describendo sint desides, aut immemores sub pœna trium aureorum, ubi statim, et eadem die non descripserint, et aliis, arbitrio nostro, infligendis.

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

X I V.

Hortentur etiam Parochi mulieres parientes, ut, quantum fieri potest, infantes per se ipsas lactent, veteres, sanctasque matronas imitantes. Moneant item obstetrices (5), ut matribus, et nutricibus referant, sive aliis fœminis, quæ curam alendi, aut custodiendi pueros suscipiunt, ne eos per annum ab ortu in lecto retineant ob periculum oppressionis sub pœna excommunicationis ferendæ. Denique et puerperas moneant, ut e partu emersæ in Ecclesia se sistant a Parocho benedictionem suscepturæ, quæ, licet ad jura parochialia mi-

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

lia minime pertineat, æquum est tamen, eamdem a proprio Pastore suscipi: et certe id fieri a Capellanis Oratoriorum prohibemus.

X V.

Sed vero infixus nostro hæret animo dolor, eam esse in plerisque Christianis insaniam, fœdissimamque nequitiam, ut propriæ dignitatis obliti, et sponsionum, et fœderum immemores, quibus se in Baptismo Christo devoverunt, perpetuamque Diabolo pugnam indixerunt, e paterna domo, in quam fuerant adsciti, erumpentes, in regionem longinquam abeuntes, ditissimum patrimonium prodigant, et perdant, quo eos misericors Pater donaverat, idque sæpe rationis usu vix appellente. Quis tantus stupor, vel, ut verius dicamus, tantus furor, ut cœlestes cibos pertæsi porcorum siliquis saginari desiderent? et Christo nuntium mittentes, immo eumdem turpissime abjicientes, Diabolum in animum intromittant, et pro amantissimo Patre sævissimum hostem complectentes, ejus dominationi se subdant, qui omne bonum absorbeat, et omne malum inducat? Succurrant itaque crebro menti, Filii dilectissimi, ea verba, quibus Sacerdoti ter interroganti in Baptismi collatione ex Patrini voce respondistis, abrenunciare vos Diabolo, et omnibus operibus ejus. Hæc tam solemnis ejuratio numquam excidat ex animo, eamdemque frequenter renovate, tamquam firmissimum adversus sævientes tentationes propugnaculum, ut monet divus Joannes Chrysostomus (1), qui ait: *sine hoc verbo numquam in forum prodeas; sed, cum es januæ vestibula transgressurus, hoc prius loquere verbum: abrenuncio tibi Satana, et pompæ tuæ, et cultui tuo, et conjungor tibi, Christe. Ne umquam absque hac voce exeas: hac erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis.* Nec desinant Pastores monere parentes, ut id puerulorum auribus frequenter inserant, eos ad Christum spectare, cum Diabolo nihil commune habere,

(1) *Homil. II. ad Illuminandos.*

re, eumdem ceu infensissimum hostem odisse debere: se divites esse, sed a tartarei latronis insidiis cavendum esse: pretiosam suppellectilem in vasis fictilibus contineri, ideoque omni custodia, et diligentia servandam.

CAPUT III.

De Obstetricibus.

I.

PErmagni interest, Obstetrices suo munere recte fungi, et idoneas, et industrias esse, et insigni charitate præditas; nedum enim adiutrices humanæ vitæ sunt, sed sæpe ad æternam salutem infantulorum conferre possunt, quibus, nisi per ipsas sacra Baptismi ablutio concedatur, sine ulla salutis spe depereunt, suntque equidem infelicissimi; ideoque ajebat divus Joannes Chrysostomus (1): *luge eos, qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illuminatione, sine signaculo decesserunt. Hi vere lamentis digni, hi lacrymis.* Itaque si Medici (2), qui servandæ corporis saluti præpositi sunt, nullam mulierem in eo ministerio versari patiuntur, quæ prius ipsorum judicio probata non fuerit, Nos, qui præsertim perpetuam incolumitatem, beatamque illorum vitam, qui Nobis a Deo commendati sunt, maxime expetimus, omnem diligentiam, curamque impendere debemus, ut hujusmodi mulieres, a quibus tam crebro Baptismus impertitur, iis omnibus satis imbutæ sint, quæ ad rem bene gerendam necessario requiruntur.

(1) *Homil. III. in Epist. ad Philip.*

(2) *Bened. XIV. Notif. VIII. Vol. I.*

II.

Quare Parochis mandamus, ne sinant obstetricia gerere, nisi mulieres bene moratas (3), honestas, charitate plenas, bonæque famæ: descripta teneant earum nomina, quæ in Parochia degant: easdem de ratione

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. II. Cap. II. Et Hieron. Column. P. I. Cap. VII.*

tione bene ministrandi Baptismum instruere non negligant: nullæ vero ejusmodi munus præstent, nisi quarum peritia adprobata, testataque sit. Volumus idcirco, ut quemadmodum in Civitate ab Archipresbytero Metropolitanæ id fieri solet, adscitis aliis duobus Religiosis: ita in Diœcesi, diligenti examine singulis annis excutiantur a Parochis simul et Vicariis foraneis. In iis autem examine pertentandis, interrogentur potissimum (1) de materia, et forma hujus Sacramenti, et qua ratione, simul ac materia traditur, verba pronunciari oporteat, et quæ baptizandi intentio simul necessaria sit. Proponantur etiam illi eventus, qui in Rituali romano continentur, ac præcipue quid agendum sit, quum infans ex utero parientis caput, aut aliam corporis partem solummodo porrigit, ipsiusque vita in dubium magnopere revocetur. Si qua vero, non obtenta de scripto a Nobis, vel Delegatis nostris facultate, in tale munus se intromittere audeat, gravi pœna arbitratu nostro multabitur.

(1) *Bened. XIV. cit. Notif. VIII.*

III.

Ad Parochos etiam pertinebit Obstetrices instruere, ut quum casus evenerit, in quo infantem nulla adhuc sui parte editum, aqua nihilominus saltem per siphunculum tingere possint, et mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione (2), sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat, et foras prodeat. Si monstrum in luce edatur, et dubium sit, an homo, vel aliud sit, adhibita conditione (3), baptizetur: *si tu es homo, ego te baptizo etc.* Si in monstro plura sint capita, replicanda est ablutio cum forma pro capitum numero.

(2) *Lib. VII. de Synod. Diœces. Cap. V.*

(3) *Ead. Synod. laud. ibi.*

IV.

Debent autem Obstetrices tunc solum in sacram ablutionem se se ingerere, quando necessitas urgeat, et tunc deficiente viro peritiori. Quando ad obstetricandum arcessuntur, secum deferant vasculum puræ aquæ,

ut,

ut, si necessitas incidat, præsto sint ablutioni peragendæ. Dum vero abluunt, efficiant, ut aqua cutem pertingat, capillos aliquantum excutiendo, eodemque tempore formam pronuncient distinctis verbis: forma autem vulgari sermone exprimatur, ne nullus irrepat error, et dicant: *io ti battezzo in nome del Padre, e del Figliuolo, e dello Spirito Santo*, intendantque id facere, quod sancta facit Ecclesia. Eadem vero semper persona, quæ abluit, formam pronunciet, et non alia. Curent etiam, quoad fieri possit, ut, dum abluunt, duæ saltem mulieres adsint, audiantque a baptizanre prolata verba, ut testificari possint de bene collato Sacramento. Si, cogente necessitate, in alia parte, quam in capite infantulum abluerint, quum primum poterunt, adjecta conditione, iterum in capite abluant.

V.

Mandamus autem, districteque præcipimus omnibus Obstetricibus, ut, si aliquando puella lapsa apud ipsas hospitetur, donec puerperii laboribus perfuncta sit, hanc severissime custodiant, et non modo criminis complicem ab ea invisenda omnino arceant, sed et alios extraneos quoscumque; et interea si vel ex partu, vel ex alia infirmitate, in vitæ periculum adducatur, tempestive Confessarium arcessant, ut animæ saluti provideat. Si ea facere prætermiserint, venia non dabitur, sed graviter ex arbitrio nostro punientur.

CAPUT IV.

De Sacramento Confirmationis.

I.

Etsi per baptismum, peccatorum fuligine abstersa, cœlestibus donis cumulati, in Christi familiam adscripti simus; tamen, quasi infantes modo geniti teneri-

ritatem adhuc, et mollitiem quamdam habemus. Gravissimum autem nobis certamen paratur adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus, adversus carnis, et mundi, et Diaboli impetus. Idcirco clementissimus Deus in accepta nos gratia confirmare volens, Sacramentum Confirmationis, ex quo nomen ipsum invectum est, instituit, quo muniti, et tecti sævis inimicorum conatibus, et insidiis resistere possemus. Hinc Pastoribus uberrima seges est docendi populum, ut magna reverentia erga hoc Sacramentum affecti sint, efficiantque, ut tamquam generosi, et strenui milites Christi, tota vita, quæ perpetua militia, et lucta est, in accepta fortitudine perseverent. Eos vero omnes, qui hoc Sacramento initiandi sunt, docere non desinant, quanta ejus sit dignitas, et quam præclari effectus, et qua cordis munditia ad illud percipiendum debeant accedere, et eo majorem desiderari animi præparationem, quod, quum characterem imprimat, iterari non possit: moneantque non esse quidem Sacramentum absolutæ necessitatis; attamen sibi infensum, et inimicum futurum, qui se illo roborare negligat, et cum tot hostium agminibus pugnaturus, se nudum armis, et imbecillum objiciat: nec gravi culpa liberari eum, qui ob contemptum, vel oscitantem socordiam se hujus Sacramenti gratia munire prætermittat, cum Theologis gravissimis adfirmat Benedictus XIV. (1) Eamdemque culpam Parochis, parentibus, dominis, ac tutoribus inesse docet, qui sibi subjectos non vehementer exstimulent, ut hoc Sacramento, quum fert occasio, confirmentur. Igitur Parochorum munus sit, quando Edictum nostrum de hoc Sacramento excipiunt, illud inter Missarum solemnia promulgare, et pueris, et puellis, eisque omnibus, qui eo adhuc signati non sunt, omnem hujus Sacramenti disciplinam tradere, et simul explorare diligenter, an ea mente teneant, quæ scitu ad salutem necessaria sunt (2).

(1) *Notif. VI. Vol. I.*

(2) *Synod. Jacob. Benconp. Lib. II. Cap. IV.*

M II.

II.

Nemo, nisi bene instructus, et nisi accepta de scripto Parochi testificatione (1), ad hoc Sacramentum accedat: in ea consignentur nomen, cognomen, ætas confirmandi, tum nomen patris, et matris, et patrini, et matrinæ, et Parochiæ. Hæ schedulæ ad Nos transmissæ, ad Parochos remittentur, qui in libro ad id comparato rem totam in commentarium referent, servata formula ad calcem Ritualis romani præscripta. Si ultra hebdomadam id facere distulerint, eadem pœna afficientur, qua supra dictum est (2) de non descriptis baptizatis.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(2) Cap. II. §. XVII.

III.

Quum Sacramentum vivorum sit, qui illud suscipere velit, debet vel integram Baptismi innocentiam afferre, vel expiatum vera cordis pœnitentia animum. Et optandum sane, ut precibus, aliisque piis operibus ad uberiorem Spiritus Sancti effusionem se comparet. Etsi vero omnibus post Baptismum hoc Sacramentum administrari possit; minus tamen id expedit, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus non expectandus videtur, certe usque ad septimum hoc Sacramentum differri maxime convenit, ut recte monet Catechismus romanus (3). Nullus igitur ad Nos adducatur pro Confirmatione accipienda, qui septimum saltem annum non attigerit (4). Urgente tamen necessitate, aut articulo mortis, puerulis, qui septimum annum non attigerint, conferre hoc Sacramentum non detrectabimus, rogatique præsto erimus, ipsosque domi invisemus, et Sacramenti virtute muniemus. Qui ætate matura jam sunt, et Sacramenti hujus adhuc expertes erubescere non debent, se agminibus puerorum inserere Sacramentum percepturi. Id tantum ab eis expetitur, ut, quoniam forte dissoluta quadam negligentia, et culpabili cunctatione ad id tempus Sacramenti virtute caruerunt, jejuniis, et aliis pietatis

(3) De Sacrament. Confirm. Num. 18.

(4) Synod. Jacob. Bon comp. ibi.

tatis operibus eam desidiam corrigant, et compensent, ut quo tardius, eo uberius Spiritus Sancti dona percipiant.

I V.

Qui ad Ecclesiam recipiendi Sacramenti causa se conferunt, eo die, et hora convenire debent, quæ constituta fuerit, caveantque diligenter Parochi in Diœcesi, ut mares a fœminis distinctum, sejunctumque locum habeant, quemadmodum in Civitate diverso etiam tempore maribus, et fœminis confertur ad eam permistionem declinandam. Absint vero colloquia, vociferationes, et strepitus: in corporis cultu absint sordes, et squallor; sed et exquisitior, nimiusque ornatus, maxime in fœminis, tamquam a loci, et temporis gravitate alienus, arceatur. Tempore vero sacræ unctionis, manibus ante pectus junctis, suo quisque ordine pie, et religiose oret.

V.

Adduntur etiam Patrini, quemadmodum de Baptismo est dictum, quibuscum eadem spiritualis affinitas continetur (1), quæ legitima nuptiarum fœdera dirimit, sicut in Baptismo. Ab hoc munere gerendo rejiciendi ii omnes sunt, quos quum de baptismo ageremus (2), rejiciendos voluimus. Qui nondum confirmatus fuerit, Patrini munere fungi nequaquam debet (3). Parentibus etiam erga liberos id præstare minime permittitur, ne statuto spiritualis cognationis vinculo criminose irretiantur. Volumus insuper, ut maribus erga fœminas, et e contrario fœminis erga mares id officii persolvere minime liceat. Nec etiam par est, juvenes pro senibus, nec quatuordecim annis minores ad id munus deligi. Quum enim Patrini munus non sit nudum ministerium, vacuumque nomen; sed adjunctam habeat suscepti curationem, ut diximus de Patrino Baptismi, assumi ii debent, quibus ætas, et auctoritas magisterii laudem tribuere possit. Ne autem con-

(1) *Synod. Trid. loc. cit. de Ref. Matrim.*

(2) *Cap. II. §. XIII. et XIV.*

(3) *Synod. Jacob. Koncomp. ibi.*

M 2 fusio,

fusio, perturbatioque contingat, nemo eadem die plures, quam duos suscipiat, non obtenta a Nobis facultate. Dum confirmandum suo nomine compellabimus, si nomina nacti fuerimus ridicula, inepta, vel ethnica, alia substituemus, eaque a Parochis in libro confirmatorum describentur. Denique illud bene menti omnium inhæreat, qui confirmantur, vel qui eosdem perducunt, ut adsint, dum ab initio sacri ritus fit manuum impositio, precesque funduntur, quibus divini Spiritus numen imploratur: et item, ut nemo recedat ab Ecclesia, nisi precibus absolutis, solemnique ab Episcopo impertita benedictione (1). Deinde diebus aliquot consequentibus precationibus vacent confirmati, ut in ipsis accepta divini Spiritus dona invalescant: diemque illius initiationis, tamquam solemnem, toto vitæ cursu habeant, sanctissima Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramenta percipientes, et Deo gratias agentes, quod ipsis sui spiritus dona, communionemque contulerit.

(1) Pontif. Rom. de Confirm.

CAPUT V.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

I.

NIhil est, quod Christi Domini in suam Ecclesiam charitatem magis declaret, et prædicet, nihil, quod eam magis nobilitet, et illustret, nihil quod plus ei conferat adjumenti, quam sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. Parochus igitur summum studium in eo ponet, ut et ipse, qua decet reverentia, debitoque cultu tractet, custodiat, et administret tam venerabile Sacramentum, tum etiam, ut populus sibi commissus illud religiose colat, sancte, frequenterque suscipiat. Et sæpe in sacris sermonibus habendis eo deveniat, ut doceat fide-

fideles, qua pietate, et affectu, et quo corporis, et animi habitu sacræ mensæ interesse debeant, et quanta fide, et reverentia divinam Majestatem prosequi.

II.

Incutient autem animarum Curatores magnam religionem, si ipsi præeant, et exemplo ostendant, quanto in honore habendum sit hoc Sacramentum. Si omnia, quæ in templis sunt, pura, nitida, et decora esse debent, ut alibi est dictum; quanto magis illa omnia talia esse debebunt (1), quæ proximius divinissimo huic Sacramento deserviunt? Sanctissima Eucharistia in omni Ecclesia Parochiali, et Subsidiali servetur in argentea pyxide intus auro perlita (2), quæ tot particulas consecratas continere valeat, ut usui infirmorum, et aliorum fidelium communioni satis esse possint; ipsæ autem particulæ singulis hebdomadis renovandæ sunt (3). Pyxis vero sit munda, et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta, et corporali mundo insidens, in Tabernaculo clave obserato custodiatur. Clavem vero apud se retineat Parochus, non ostiolo infixam relinquat. Hoc autem Tabernaculum conopæo decenter opertum (4), atque ab omni alia re vacuum sit, et internis parietibus holoserico albi, vel rubri coloris circumvestitis, et in Altari majori, tamquam digniori sit collocatum; in Metropolitana autem, et Collegiatis in alio, quod venerationi, et cultui tanti Sacramenti commodius, ac decentius videatur (5). Lampades coram eo plures, vel saltem una, diu, noctuque perpetuo colluceat (6): quod nisi diligenter præstabitur, pœnis arbitrio nostro inflictis, exigemus: curabitque Parochus, ut omnia ad ipsius Sacramenti cultum ordinata, integra, mundaque sint, et conserventur.

(1) Rit. Rom.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. II. Cap. III. et Hieronym. Columna. P. I. Cap. IX.

(3) Cavent. Episc. Lib. I. Cap. VI., et Bened. XIV. Constit. Etsi Pastoralis.

(4) Ambæ Synod. ibi.

(5) S. Congr Ep. 10. Feb. 1579. et 29. Nov. 1594.

(6) Rit. Rom.

III.

Caveant etiam Parochi sub pœnis Nobis arbitrariis (7), ne aliquando pyxidem particulis consecratis vacuam relinquant, ne Ecclesia suo sponso viduata perma-

(7) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

permaneat, neve infirmis salutaris Viatici subsidium desit. Hostiæ vero, seu particulæ consecrandæ sint recentes, et ubi eas consecraverint, veteres distribuant, vel sumant. Ostensorium quoque habeat unaquæque parochialis Ecclesia, idque, quoad fieri possit, nobilius, et melius compactum (1).

(1) *Amba Synod. nost. laud. ibi.*

I V.

In publicis Oratoriis sacra Eucharistia servari non debet, nisi ex speciali Sedis apostolicæ concessione. Quoties vero ipsa indulgeat, exhiberi Nobis rescriptum, recognoscique debet. Ubicumque autem servetur, nihil prætermitti debet, quod ad ejus reverentiam, et cultum perducat: neque transferenda est ad usus minime consentaneos. Non enim afferenda est ex Ecclesia (2) ad incendia compescenda, multoque minus in flammas projicienda: non capiendum ex ea innocentiæ, vel culpæ experimentum: non admovenda corporibus eorum, qui a Dæmone exagitantur: neque demum adducenda ad imbres, grandines, et turbines comprimendos, et sedandos. Sed hoc in casu, dato Campanæ signo, ad precandum populus advocetur, et sacra pyxis hæreat, aperto Tabernaculi ostiolo.

(2) *Amba Synod. Nost. ibi.*

V.

In feria quinta Majoris hebdomadæ magna adhibenda est erga sanctissimum Sacramentum religio. A majori Altari ad alterum constitutum, et bene apparatum devote deferatur, ardeantque ibi plura lumina. In sequenti die ad Altare majus referatur, ut ibi a Sacerdote sumatur, prout a rubricis præscribitur; sed neutro die extra Ecclesiam deducenda Processio est (3). In iis Parochiis, in quibus sufficiens Ministrorum numerus desideratur, non arbitrarii ritus invehendi sunt, sed qui præscribuntur in parvo Cæremoniali edito a Benedicto XIII. pro Parochis, et Ecclesiis congruo Ministrorum numero carentibus; quod idcirco typis mandari curabimus.

(3) *S. Cong. Episc. & Regul. 6. Aug. 1591.*

V I.

V I.

Sed benignissimus Dominus noster non tantum voluit in hoc doloris exilio socius noster esse; sed et indulsit, immo præcepit, ut eodem suo Corpore sanctissimo, tamquam cibo, uteremur, eique tamquam Capiti viva membra insereremur, Divinæ ejus Naturæ (quod omnem excedit cogitationem) participes effecti, juxta illa ipsius Christi verba (1) *qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo*. Sed panis vitæ esse nequit, nisi iis, qui jam gratia vivunt: non enim ad revocandam, sed ad conservandam vitam, augendamque institutus est. Idcirco, qui gravi culpa inquinati sunt, ne judicium sibi manducent, et bibant, ex Apostoli præcepto (2) probare seipsos debent, hoc est, ut declarat sancta Tridentina Synodus (3), qui sibi mortalis peccati conscius est, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere non debet. Hinc et a sacra Mensa arcendi sunt omnes, quibus infamiæ labes e peccato insideat, suntque publice indigni, ut excommunicati, interdicti, meretrices, concubinarii, et alii hujus generis publici peccatores (4), nisi de eorum pœnitentia, et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint.

(1) *Joannis VI. 57.*

(2) *I. Corinth. II.*

(3) *Sess. XIII. Cap. VII.*

(4) *Amba Synod. Nost. laud. ibi.*

V I I.

Pueri quoque perfecto rationis usu nondum potiti, ad Communionem recipi non debent: attingentes vero circiter duodecimum annum admitti poterunt. Sed nemo melius constituet, quam pater, et Sacerdos, cui illi confiteantur peccata (5), quando eis sacra Mysteria sint danda. Ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percontari, an hujus admirabilis Sacramenti cognitionem aliquam acceperint, et gustum habeant. Si vero pueri morti essent proximi, facilius ad has mysticas dapes admitti possent, modo alicujus de earumdem præstantia notitiæ capaces sint. Præterea et amentibus genera-

(5) *Catech. Rom. de Eucharist. Num. 53.*

neratim hoc Sacramentum dare minime oportet: si tamen, antequam insania occuparentur, religiosam, et piam voluntatem præsetulerint, in exitu vitæ concedi posset, modo nihil indignum timeatur.

VIII.

Ceterum omnibus Christi fidelibus proposita est lex, ut sacram Eucharistiam accipiant; Ecclesia vero constituit, ut, qui saltem singulis annis in Paschate non communicaverint, tamquam christiano nomine indigni, arceantur ab Ecclesia, atque annua hæc sacræ Eucharistiæ sumptio in propria Parochia habenda est: quare Parochi in rem hanc sedulo incumbant, ut sibi commissi populi bene se comparent ad Ecclesiæ præceptum servandum. Dominica quarta Quadragesimæ de eo loqui instituant, ejusque memoriam refricent in dominica Passionis, doceantque, teneri unumquemque saltem in Paschate suum Pastorem recognoscere, et de ejus manibus Sacramentum percipere; nec satis huic præcepto fieri, si alio in loco, etsi in Ecclesia Metropolitana (1), quam in sua Parochia communio excipiatur, nisi a Nobis concessa facultas fuerit, vel a Parocho, gravi aliqua flagitante causa. Moneant vero, tempus hujus communionis circumscribi a dominica Palmarum ad dominicam in Albis, nec eos fines licere sine gravi peccato prætergredi, nisi ex legitimo impedimento, vel de Confessarii præscriptione: eos vero, qui sacrilege communicarent, præceptum minime adimplere (2). Sed instent ardenter, ut omnes veram cum Christo pacem ineant, ita cum ipso resurgentes, ut iterum in laqueos mortis non incidant: sed revulsis ex animo vitiis, amputatisque peccandi occasionibus in novitate vitæ ambulent. *Sit veræ compunctionis indicium*, ait divus Bernardus (3), *opportunitatis fuga, subtractio occasionis: alioquin timendum valde, ne dies ista (siquidem et ipsa posita est in ruinam, et resurrectionem multorum) reprobet vos, vel tamquam manifeste alienos a* Chri-

(1) *Bened. XIV. Notif. IV. Vol. III.*

(2) *Ex prop. 55. damn. ab Inn. XI.*

(3) *Sermon. I. in die Paschat.*

Christo, Christo non communicantes, vel tamquam socios Judæ, in quem intravit Satanas post buccellam.

I X.

Qui data opera se a Parochia subduceret tempore Paschæ, et in alio loco communicaret, præcepto de paschali communione minime obtemperaret. Si quis vero justis de causis abesset, afferat Parocho suo de suscepta communione testimonium (1); et idipsum faciant, qui quasi duplex domicilium habent, in alterutro loco peracta communione. Vagi, et peregrini, et qui nullum habent certum domicilium, ubicumque diversentur, eam Parochiam adeant, sub qua hospitantur.

(1) *Synod. Hieronym. Column. P. I. Cap. IX.*

X.

Opportuno tempore ineant Parochi censum (2) de iis omnibus, qui ad communicandum obstringuntur, tradantque singulis schedulam restituendam tempore perceptionis Sacramenti. Si qui, elapso præstituto tempore, non paruerint, tempestivis monitionibus instare pergant: post diem Ascensionis nacti aliquos contumaces, et nullius spei, eosdem ad Nos deferant, in quos pro contumaciæ gravitate censuris ecclesiasticis animadvertemus. Quod si Parochi cunctati fuerint horum nomina Nobis dare, ab aliqua pœna infligenda non temperabimus. Si quis vero schedulas hujusmodi per fraudem obtineat, easque aliis vel tradat, vel vendat, nedum gravi culpa illigabitur, sed et pœnis erit obnoxius, quibus eum afficiemus. Spectat etiam ad Parochos (3) in libro describere puellas, et pueros pro ætate capaces ad sacram Eucharistiam prima vice admittendos: eosdem, dato signo campanæ, ad Ecclesiam convocabunt ter in hebdomada per quadragesimam, ut erudiantur de tanti Sacramenti mysterio, de vi, et efficacia ejusdem, et de effectibus, tum de animæ puritate, qua Manna divinum sumendum est. Hæc nisi præstiterint, gravi pœna pro modo culpæ multabuntur.

(2) *Amb. Land. Syn. nost. ibi.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

X I.

Sunt quidam perfrictæ frontis, perditique homines, qui justis de causis denegata ipsis a Parochis communione, infremunt, minasque intentant. Hos sive per se, sive per alios, terrores, vel comminationes in Parochum intentantes, excommunicatione Nobis reservata ipso facto irretitos volumus (1).

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

X I I.

Sacerdotes alicubi celebrantes, non tenentur Parochiam adire pro paschali communione. Hortamur autem omnes cum Benedicto XIV., ut quemadmodum in Metropolitana, et in Collegiatis Canonici, et ceteri clerici deservientes, feria quinta in Cœna Domini communicant (2); ita et ipsi sacram Synaxim eadem die de manu Parochi accipiant. Si tamen per eos dies sacrum non facerent, eadem lege ac laici obstringerentur. Clerici autem omnes eodem præcepto semper obligantur.

(2) *Notif. XVIII. Vol. II.*

X I I I.

Die dominico Paschæ vetitum est in Regularium Ecclesiis (3) Eucharistiam administrare; non tamen aliis diebus, qui a die Palmarum ad dominicam in Albis interfluunt. Laici Regularibus famulantes præceptum Paschatis in Parochia sua adimplere debent; si vero perpetuo intra septa degant regularis domus, et quasi domestici habeantur, inibi satisfacere præcepto possunt (4).

(3) *Sacr. Congr. Episc. 10. Septemb. 1627.*

(4) *Trident. Synod. Sess. XXIV. Cap. XI. de Reformat.*

X I V.

Non prætermittant Parochi de ægrotantibus singularem curam habere, præsertim diuturno morbo laborantibus. Eos sæpe invisant; ad tollerandos patienter dolores confirment; ad frequentem confessionem adhortentur, excipiantque ipsi libenter eorum confessiones, si velint sibi confiteri, vel excepta ab alio confessione, saltem diebus solemnioribus, iisdem jejunis sacram afferant Eucharistiam. Id vero multo magis præstandum est diebus paschalibus, ut et ipsi præcepto Ecclesiæ ob-

siæ obtemperare possint. Quando vero in periculo mortis versantur, curandum erit diligenter, ut rite, peracta confessione, tanti Sacramenti participes sint, ad quod jure divino obligantur; et etiam, non servata jejunii naturalis lege, communicentur. Quod si quis ex Parochi negligentia non refectus sanctissimo Viatico obierit, gravibus pœnis in Parochum ipsum animadvertemus (1). Elapsis diebus decem, et eodem periculo mortis perseverante, iterum salutare hoc alimentum admoveri eis poterit ad modum Viatici; pie autem petenti nullo modo denegandum (2). Immo ne expectandum quidem erit tot dierum intervallum, si de pia aliqua persona agatur, et maxime de piis Sacerdotibus, qui hisce divinis epulis refici frequentius exposcant, quod Parochorum prudentiæ judicandum relinquitur (3).

X V.

At vero, qui una paschali communione contenti sunt, quam ingratos se præbent erga tam beneficum Patrem, qui se totum nobis tradidit, et in nobis hospitari desiderat? Quot se bonis evacuant? Quot se peccandi periculis objiciunt tanto propugnaculo destituti? Parochi igitur, ceterique animarum Magistri improbare, et redarguere non desinant turpissimam illorum socordiam, qui vix in Paschate humanis potius rationibus, quam affectu pietatis ducti divino convivio se sistunt; reliquo vero anni tempore nullam suscipiunt de tanto Sacramento cogitationem. Clamant omnium Sanctorum, et Patrum, et Doctorum voces, sæpe esse communicandum. Unde sancta Tridentina Synodus, exculpta a tota antiquitate doctrina sic fideles hortatur (4): *Hæc sacra Mysteria Corporis, et Sanguinis ejus ea fidei constantia, et firmitate, ea animi devotione, ea pietate, et cultu credant, et venerentur, ut Panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint:* et alio in loco (5) optare se dicit, ut in singulis Missis fide-

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Synod. ead. ibi.*

(3) *Bened. XIV. De Synod. Diœces. Lib. VII. Cap. XII.*

(4) *Sess. XIII. Cap. VIII.*

(5) *Sess. XXII. Cap. VI.*

fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent. Id confirmat Catechismus romanus (1) exemplo mannæ, qua singulis diebus vires corporis reficiebantur. Incitandi sunt igitur fideles, ut frequenter sacras dapes degustent; sed simul ut ea cordis munditia vivant, ut singulis diebus accedere possint, juxta illam sententiam, quæ divo Augustino tribuitur (2): *sic vive, ut quotidie possis sumere*.

(1) *De Eucharist. Num. 60.*

(2) *Catech. Rom. ibi.*

XVI.

Sed generalis regula constitui non potest hac de re, estque a conscientiæ Moderatoribus definiendum, cui frequentius, cui rarius sint hæ spiritales epulæ impertiendæ, ut prudentissime dicitur in Decreto (3) hac de re edito a sacra Congregatione, quod præ oculis habere debent animarum Magistri, ut ad ejus normam aliis frequentiorem, aliis minus sacræ Mensæ accessum permittant. Et divus Thomas de hac re ait (4): *quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere; sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum; unde in libro de ecclesiasticis dogmatibus inter opera Augustini cap. 53 dicitur: quotidie Eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero*. Sanctus Franciscus Salesius sentit (5), ei dandam singulis hebdomadis communionem, in quo affectus ad gravem, et venialem culpam deciderit, quique sacrum sitiat cibum: ei vero singulis diebus concedendam cibi cœlestis refectionem, qui passiones, pravasque cupiditates magna ex parte superaverit; sed ab eo semper, qui animum moderatur, petito consilio. Animadvertant postremo Sacerdotes, ut in eodem laudato Decreto præscribitur, ne ulli tribuantur plures sacræ Eucharistiæ formæ, seu particulæ; neque istæ consuetam mensuram transiliant.

(3) *Approb. ab Innocent. XI. ann. 1679. die 12. Feb. In Append. Lib. II. N. I.*

(4) *3. P. Q. LXXX. Art. X.*

(5) *P. II. Introd. ad Vit. Devot. Cap. XX.*

CA-

CAPUT VI.

De Missæ Sacrificio.

I.

DUas ob causas Eucharistia instituta est: altera est, ut cœleste animæ nostræ alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri, et conservare possemus; altera, ut Ecclesia perpetuum sacrificium haberet, quo Deo Patri laudem, et honorem persolveret, eique pro tot beneficiis sibi collatis gratiam referret, eumque sibi propitium redderet, ut nostris sceleribus sæpe graviter offensus ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate ad clementiam traduceretur: idcirco, ut laudis, et gratiarum actionis sacrificium est, ità est et propitiationis. Una enim, eademque est hostia (1), idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa: illa quippe oblatio cruenta, hæc incruenta est: sed fructus per hanc incruentam uberrime percipiuntur. Cujus Sacrificii vis non solum immolanti prodest, et sumenti, sed omnibus etiam fidelibus, sive qui nobiscum in terris vivunt, sive mortuis jam in Domino, et nondum plene expiatis. Atque hoc Sacrificio nedum incredibili ratione nobilitatur Ecclesia, sed Cœlum æmulata in perpetua quadam festivitate versatur. Ut enim observat divus Joannes Chrysostomus (2), quum hebræis uno tantum in loco, et paucis quibusdam diebus solemnes agere dies liceret; nobis, quibus singulis diebus, et ubique locorum tam magnum, divinumque Sacrificium litare datum est, perpetua festivitas est, et jugis solemnitas. Ex quo facile perspicitur, hoc Sacrificium nostræ Religionis veluti solem esse, a cujus splendore, et calore non est, qui se abscondat: sed intelligitur etiam, quanta religione, et cultu celebrari debeat. Nam si in divinis litteris maledictus vocatur (3), qui opus Dei

(1) *Synod. Trid. Sess. XXII. Cap. II.*

(2) *Homil. I. de Pentecost. XV. in I. ad Corinth.*

(3) *Jerem. Cap. XLVIII. 10.*

Dei qualecumque negligenter facit, quot execrationibus dignus erit, qui opus Dei omnium maximum, et præstantissimum per contumaciam, et oscitantiam contemnat? Videant igitur Sacerdotes, cujus sacrificii sint administri, ne rem tam sanctam quoquo modo violent.

II.

Itaque primo considerent, quanta sit ipsorum dignitas, et quanta auctoritas, quum de Christi Sacerdotio mirum in modum sint participes; sed etiam agnoscant, quum dona augentur, rationes etiam donorum augeri. Nihil in ipsis terrenum insidere deberet: totus cœlestis, Deique plenus deberet esse Sacerdos: nihil commune habere cum populo, a quo tanto intervallo, et potestate sejungitur, quæ longe excedit omnium Principum fulgorem, et omnium Regum potestatem. Quid turpius, quam honor sublimis, et vita deformis, sancta professio, et illicita actio? Proderit proinde Sacerdoti sæpe in hanc suam dignitatem intendere, seque excutere diligenter, an actio nomini, an mores dignitati respondeant. Quare hortamur omnes Sacerdotes, ut sibi provideant aureum libellum Cardinalis Bonæ, quem attenta lectione in succum sibi, et sanguinem convertant (1). Absit vero, ut Sacerdos, sibi alicujus gravis culpæ conscius, non præmissa sacramentali confessione, ad Altare celebraturus accedat: judicium enim divinæ condemnationis incurreret, et præcepto Tridentinæ Synodi obsisteret, quæ jubet (2), ut Sacerdos mortalis culpæ sibi conscius, cui incumbat celebrare, etsi contritus sibi videatur, præmittat sacramentalem confessionem, modo non desit illi copia Confessarii. Quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. Ut vero uberiores ex tanto ministerio fructus colligat, ne dum a gravibus, sed et a levioribus culpis abstergere animum debet: terrenos affectus compescere, et se omni virtutum genere excolere.

(1) De sacrif. Missæ Tractat. Ascet. typis Lælii a Vulpe.

(2) Sess. XIII. Cap. VII.

III.

III.

Ad Aram celebraturi accedentes, ne dum corde puro, animoque in Deum accenso se comparent; sed etiam corpore mundo, lotis manibus, vestibus non sordidis, et toto corporis habitu gravitatem, et devotionem præseferentes: oculos huc illucque minime obvertant, tota animi contentione rem sacram peragentes. Rubricas adamussim observent, quas utilissimum est aliquoties revolvere, ut, si quid vitii insederit in iis servandis, corrigatur. Quæ e libro legenda sunt, memoriter ne dicant. Cavenda nimia prolixitas (1), ita ut Missæ generatim horæ dimidium non excedant; sed multo magis cavenda nimia festinatio, ut tertiam horæ partem non exæquent. Quare, si quis festinantius quam deceat, in celebrando se gerat (2), ad suspensionem, aliasque arbitrarias pœnas procedemus.

IV.

Qui Sacerdotio sunt initiati, Sacrum non faciant, nisi cæremonias, et rubricas Missalis apprime calleant, et nisi testimonium de scripto exhibuerint Magistri nostri cæremoniarum: neque sine expresso nostro consensu id faciant in Ecclesiis Monialium (3). Optamus autem vehementer, ne vanitate quadam incitati musicos cantus, solemnemque pompam arcessant primum Sacrum facturi (4), multoque minus ne, Sacro peracto, declinent ad solemnia convivia, facetiasque, et clamores hisce conviviis adjunctos. Hæc enim omnia mentem perturbant, et devotionis spiritum enervant.

V.

Meminerint autem omnes Sacerdotes, etsi nec Ecclesiæ alicui addicti, nec vi beneficii obstricti sint, aliquoties, et saltem festis solemnioribus (5) celebrare debere. Nos vero ex Tridentina Synodo, ut singulis dominicis diebus id faciant (6), graviter admonemus, et cohortamur. Neque enim Ecclesia ministros eligit, tantoque honore cumulat, ut ii desidia, otioque torpentes

(1) Bened. XIV. Notif. XIV. Vol. II.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. I. Cap. V. Et Hieron. Columm. P. I. Cap. X.

(3) Ead. Synod. ibi.

(4) Eadem Synod. ibi.

(5) Bened. XIV. Notif. XIV. Vol. III. ex d. Th. et aliis.

(6) Sess. XXIII. Cap. XIV.

pentes collatam sibi potestatem pro vivis, et defunctis Sacrificium offerendi per socordiam tabescere patiantur. Debet enim Sacerdos, ut ait Apostolus (1), prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Quod facere prætermittens, Deo gloriam, Cœlitibus lætitiam detrahit, sibi, et vivis, et defunctis detrimentum affert.

(1) *Ad Hebraeos Cap. VII. 27.*

V I.

Qui Sacerdotio initiati non sunt, et celebrare præsumunt, nefario crimine se implicant, indiciumque præbent, se minus recte de fide sentire, gravissimisque pœnis a summis Pontificibus latis corripiuntur. Ne tam immane facinus aliquando contingat, nulli Sacerdoti vago, et ignoto, et alienæ Diœcesis (2) celebrare permittatur, sive in Ecclesiis Nobis subjectis, sive in iis Regularium, nisi litteras exhibeant dimissorias a Nobis, vel a Vicario nostro generali adprobatas. Nullus quoque Regularis celebret, si peregrinus is fuerit, et nulla extent sive Cœnobia sui Ordinis, sive Ecclesiæ, ubi litteris patentibus suorum Superiorum non constiterit esse munitum; de quibus tamen, si quas attulerit, an sint et opportunæ, et legitimæ, sciat a Nobis esse dijudicandum, atque adeo a Nobis celebrandi obtinendam facultatem (3). Quod si quis Ecclesiæ Rector, aut Sacrarii Præfectus sive secularis, sive regularis contra hujusmodi sanctiones peccaverit, pœnam decem aureorum non evitabit. Quin illi ipsi Sacerdotes, qui in Diœcesi nostra sibi domicilium constituunt, intra dies octo litteras hasce exhibere teneantur; mandamusque Parochis vigilare, ne quis alienigena Sacerdos hisce litteris destitutus domicilium figat. Hac de re extat nostra pastoralis Epistola, et statuta edidimus (4), quæ nunc confirmamus.

(2) *Synod. Trid. Sess. XXII. Decret. de observand. et vitand. Sess. XXIII. Cap. XIII. et Synod. nost. ibid.*

(3) *Encic. S. O. 20. Feb. 1649. et 26. Jan. 1692. Ben. XIV. Not. XIV. Vol. II.*

(4) *Ann. 1779. et 1780. Vid. in Append. N. II.*

V I I.

Nihil potius esse debet Ecclesiarum Rectoribus quibuscumque, quam ut divinum mysterium omni religione

gione perficiatur. Si quem Sacerdotem in suis Ecclesiis deprehenderint, indecore rem sacram agere, secreto, et leniter eum moneant; si perseveret, et nulla emendationis spes affulgeat, eumdem secreto Nobis deferant. Curent vero, ut illa omnia, quæ sacrosancto Sacrificio deserviunt, nitore, et munditia excellant. Nam calices, et patenas certe consecrare detrectabimus, nisi ea forma, et elegantia Nobis offerantur, ut satis esse possit.

V I I I.

Districte porro Sacerdotibus universis præcipimus, ut talari, nigrique coloris veste induti ad celebrandum accedant, sine qua quidem veste, ne ad Templum quidem sacrificaturos accedere debere indiximus (1), et nunc confirmamus. Nec Ecclesiarum Rectores, iique, qui Sacrariis præsunt, vestes sacras ministrare in Civitate debent iis Sacerdotibus, qui non in hunc modum induti se sistant, nisi forte exteri Sacerdotes sint, qui statim e Civitate discederent. Atque idipsum in Civitate Centi, et in Oppidis nostræ Diœcesis districte præcipimus observari; in Parochiis vero campestribus optamus talares vestes pro celebraturis custodiri: sed certe nullus, nisi in veste nigra, celebret umquam, juxta ea, quæ jampridem præscripsit Benedictus XIV. (2), et Nos ipsi in laudata Epistola, et Statutis jussimus. Nec item licet Sacerdotibus in sacro ministerio pileolis caput obtegere, nec etiam annulis ornare digitos, ut pluribus ibidem docet Benedictus XIV.

I X.

Dum Sacerdotes Sacrum faciunt in Ecclesiis sive Regularium, sive Monialium aut Nobis, aut suis Regularibus subditarum, Religionis tamen, cujus institutum gerunt, peculiaria Officia celebrantium, noverint vetitum sibi eas missas legere (3), quæ Regularibus tantum, et non aliis conceduntur; exceptis tamen Capellanis, ab iisdem Monialibus pro quotidiano Sacrificio

(1) *In Append. eod. N. II.*

(2) *Notif. XIV. Vol. II. §. IV.*

(3) *S. Rit. C. 20. Nov. 1717. Ben. XIV. loc. cit. §. V.*

cio conductis. Nullus tamen secularis, aut regularis Sacerdos in Ecclesiis Monialium, quæ nostræ curæ subjectæ sint, rem divinam faciat sine nostra facultate (1).

(1) Bened. XIV. loc. cit. §. III.

X.

In locis Diœcesis remotis, et asperis caveant Parochi, ne ob clericorum penuriam, dum Missa canitur, etsi defunctorum, ad legendam epistolam laicum admittant (2); sed saltem sit clericus, qui superpelliceo indutus, et sine manipulo, Subdiaconi vices obire poterit. Numquam vero Diaconi munere fungatur, etsi Subdiaconatu sit initiatus: id enim muneris solus Diaconus gerere potest.

(2) Ambr. laud. Syn. nost. ibi.

X I.

In celebrando temporis etiam ratio habenda est. Nullus ante auroram celebret, præterquam in nocte Nativitatis Domini, in qua post elapsam mediam noctem ex Ecclesiæ instituto Sacrum fit (3). Una vero tantum Missa in quibuscumque Ecclesiis parochialibus celebranda est, vetamusque ne reliquæ continuentur sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, sub eademque pœna, ne Eucharistia fidelibus ministretur (4). Eadem Nocte vetitum sit in quibuscumque Oratoriis celebrare, sicut et feria quinta majoris hebdomadæ, et Sabbato sancto, sub pœna suspensionis ipso facto quoad celebrantem, et interdicti quoad Oratorium (5). Neque pariter post meridiem celebrandum est. Quæ vero de hora diximus non ita intelligantur, ut præjudicium aliquod inferatur decretis Benedicti XIII., et Clementis XII; quibus permissum est, ut tertia horæ parte ante auroram, itemque post meridiem, possit Missa celebrari (6); dummodo præscriptos hosce fines, sine peculiari apostolica facultate, nemo transgrediatur.

(3) S. Pius V. Const. IV. et in Rubr. Miss. tit. XV.

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(5) Synod. ead. ibi.

(6) Bened. XIV. Notif. XIII. Vol. I.

X I I.

Metropolitanæ Ecclesiæ tamquam parenti exhibenda reverentia est, ideoque in nulla Ecclesia etsi Regularium, liceat antevertere campanarum pulsationem in Sabba-

Sabbato sancto ad hymnum *Gloria in excelsis*, antequam a Metropolitana edatur pulsatio, sub pœna aureorum centum, et aliis arbitrio nostro irrogandis (1). Et similiter in civitate Centi, et in aliis oppidis, et terris non pulsentur campanæ, nisi edita pulsatione Ecclesiæ principalis, sub pœnis ad arbitrium nostrum infligendis.

(1) *Leo X. Constitut. XXII. Et Congr. Rituum 6. Feb. 1608.*

XIII.

Quum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, ut ait Tridentina Synodus (2), Benedictus XIV. singulari sua Constitutione declaravit, eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missæ diebus festis de præcepto celebrare, sed sacrificii medium, quem dicunt, fructum pro populo sibi commisso applicare debere (3), nulla pro tali applicatione eleemosyna percepta. Præcipimus igitur, ut nulla tergiversatione interposita, omnes, et singuli, qui curam gerunt animarum, tam Parochi, quam Vicarii, sive perpetui, sive ad tempus, sive etiam Æconomi, et tam Seculares, quam Regulares, et quacumque demum speciali mentione digni, pontificio oraculo, et præcepto obsequentes, Missam parochialem pro populo, ipsorum curæ commisso offerant, et applicent diebus dominicis, aliisque festis de præcepto diebus.

(2) *Sess. XXIII. Cap. I. de Reform.*

(3) *Constit.* Cum semper. *Anno 1744.*

XIV.

Sicut qui altari deservit, par est, eum de altari vivere; ita nihil turpius excogitari potest, quam impium mercatum de tanto sacrificio instituere. Detestamur eorum Sacerdotum avaritiam, qui lucrum dumtaxat inhiantes, se sistunt in plateis, quasi uberiores eleemosynas expiscantes. Ut omnis nundinatio excludatur, statuimus eleemosynam Missæ taxa Bononenorum duodecim. Non vetamus tamen majorem percipi posse, si quis sponte eamdem obtulerit.

X V.

Decreta sacræ Congregationis Concilii de celebratione Missarum quoad suscipienda perpetua Missarum onera, auctoritate Urbani VIII. primum edita (1), et ab Innocentio XII. confirmata, et aucta religiosissime serventur: nec sine facultate nostra onera perpetua a quopiam suscipiantur sub pœnis ab eisdem Pontificibus constitutis, aliisque ad arbitrium. Ne autem ex reditus exilitate perpetua celebrandarum Missarum onera dilabantur, statuimus, ut imposterum libræ tercentum bononienses reditus annui pro Missæ quotidianæ celebratione sanciantur (2). Si ob imminutos reditus, vel alia de causa reductioni Missarum locus esse videatur, nefas est quidquam privata auctoritate decernere; sed legitima potestas adeunda est. Bona quæcumque ad pias causas relicta, etsi ad tenuitatem redacta, alienare non licet; sed res ad Nos deferenda est, deque ipsa, adhibitis juris remediis, transigemus (3).

(1) *Anno 1625. 25. Septemb In Appen. N. III.*

(2) *Ex Bened. XIII. Conc Rom. 1725 Bened. XIV. Notif. XV. Vol. III.*

(3) *Ambe Synod. nost. ibi.*

X V I.

Rectores Ecclesiarum in libro ad id comparato descripta, et notata dilucide habeant omnia monumenta obligationum, quibus sua cujusque Ecclesia obnoxia est. Et, ne earumdem memoria intercidat, pateat in Sacrario apposita tabella (4), in qua descripta sint breviter legata, institutiones, et tabulæ insuper, quibus constent, cum Notarii, qui rogavit, nomine, et cognomine, et anno, et mense, nec non fundi, aut census, aut quidvis aliud, in quo unumquodque onus habet fundamentum. Eodemque modo describantur ibi mutationes, ac translationes legatorum, et reductiones etiam Missarum, et legatorum, si quæ factæ sunt, adjecta causa, et auctoritate, qua sint factæ, et apposito Fundatorum, et benefactorum nomine, ne ipsorum memoria pereat, et aliquarum saltem precum suffragio non destituantur.

(4) *Decr. Innoc XII. An. 1697. Synod. Hieronym. Column. ibi.*

XVII.

XVII.

Sit in Sacrario aptum volumen in visitationibus Nobis exhibendum, in quo celebrantes manu sua scribant nomina, et cognomina propria, addito onere, pro quo satisfecerint (1). Quod pariter in supra memoratis Statutis monuimus, declarantes etiam ex mente Clementis Papæ XI., et sanctissimi D. Nostri Pii VI, Nos non probaturos onerum satisfactionem, nisi notata viderimus nomen, cognomen celebrantis, diem, et mensem, onusque, pro quo sacrificia sint facta (2). Qui Missas celebrant ex beneficii onere, aut legato, aut ex alia quavis obligatione, notent in libello, quas celebrarint Missas. Quod si fraudulenter plures, quam celebrarint, notaverint, aut Nobis, aut Vicario nostro de satisfactione Missarum interrogantibus mentiti fuerint, pœna suspensionis a Divinis, aliisque arbitrariis severissime punientur. Neque ab Ecclesiis, neque a privatis Sacerdotibus manuales eleemosynæ pro Missis celebrandis suscipi debent, nisi vel eæ omnes, pro quibus stipendium antea collatum erat, jam fuerint celebratæ, vel nisi intra modicum tempus satisfieri omnibus queat, vel aliud de benefactoris voluntate constiterit; illudque modicum tempus est spatium unius mensis, ita declarante (3) sacra Congregatione Concilii.

(1) *Congr. Concil. an.* 1663.

(2) *Decret. Visit. Apost.* 1. *Octob.* 1704. *et* 24. *Febr.* 1777.

(3) *Anno* 1655. 17. *Jul. et cit. Notif. XV. Vol. III.*

XVIII.

Sacerdotes omnes accurate onera Missarum adimpleant, loco, numero, ac tempore præstitutis. Si pinguior consueta detur eleemosyna pro Missa celebranda, et alteri Sacerdoti celebranda committatur, integra ei eleemosyna persolvenda est, licet hic alter Sacerdos se in minus stipendium consentire dicat. Id enim vetitum est ex laudatis decretis sacræ Congregationis Concilii, pontificia auctoritate firmatis, et furti reus esset ille Sacerdos, qui stipendii partem retineret, et ad restitutionem faciendam teneretur. In quo genere turpis mercimonii in memoriam revocamus Constitutionem Benedicti

dicti XIV. (1); quum enim quorumdam sive laicorum, sive ecclesiasticorum avaritia eousque progrediatur, ut, quum alicubi major sit eleemosynæ taxa pro Missæ celebratione, et alibi minor sit, magnam eleemosynarum vim, seu stipendiorum pro Missarum celebratione quidam corrogantes, ibi Missas celebrari curent, ubi stipendia pro Missis assignata minora sint, sibique, quod est reliquum, retineant, sapientissimus Pontifex hisce flagitiosis nundinatoribus, si laici sint, præter pœnas ad arbitrium Episcoporum irrogandas, ipso facto excommunicationis pœnam indixit; si vero clerici, vel quicumque Sacerdotes, pœnam suspensionis ipso facto, utramque Pontifici reservatam.

(1) Quanta cura edita 1741.

XIX.

Avaritia quidem nulla major contagio est, quæ conceptam apud omnes sacerdotalis dignitatis, perfectionisque opinionem magis inficiat, evellatque. Nullam proinde ejus speciem in nostris Sacerdotibus insidere cupientes, sancimus, ne uberior eleemosyna, quasi esca ad alliciendos Sacerdotes in publicis schedulis proponatur, immo mandamus, ut nulla eleemosynæ mentio fiat. Excitamus vero Parochos, ne hanc dedecoris turpitudinem adesse patiantur, sed ut opprimi, delerique curent. Nos equidem in sacristas, et in Ecclesiarum custodes, et in illos omnes, qui funereis functionibus præsunt, nisi obtemperaverint, animadvertere non prætermittemus.

XX.

In Synodo Prædecessoris nostri (2) Card. Jacobi Boncompagni onerantur præsides Ecclesiarum, et locorum piorum quorumcumque, ut quovis anno exeunte Nobis, aut Vicario nostro generali notulam onerum sive perpetuorum, sive manualium, et adimpletæ aut non adimpletæ satisfactionis sub pœna suspensionis ab Officio, si Clerici, et interdicti ab ingressu Ecclesiæ si laici fuerint, ipso facto incurrenda, nisi coram Nobis,

(2) Lib. I. Cap. V.

bis, aut Vicario nostro generali intra quindecim dies anno transacto, se se legitime impeditos fuisse, vel eos excusationem juridicam habere pro non completa satisfactione constiterit. Nos vero, ut pro munere nostro piorum testatorum, et offerentium voluntati satisfactum esse comprobemus, præter ea, quæ in pastorali sacra Visitatione, aliisque actibus diligenter perficiemus, ad normam Visitationis Apostolicæ Romæ institutæ, Congregationem visitationis erigemus, cui præerunt ii, quos ex Dignitatibus, et Canonicis Metropolitanæ nostræ Visitatores deputabimus, et in Diœcesi Vicarios foraneos, vel Archipresbyteros, vel Parochos pro locorum opportunitate, qui visitent onerum, et Missarum celebratarum libros, et Nobis religiose referant. Quod facile præstare poterunt, quum in sacrariis Ecclesiarum, et piorum locorum tabellæ onerum Missarum clare, et distincte, ut supra §. XVI. decrevimus, prostare debeant, et ad nutum exhiberi.

CAPUT VII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I.

Miseranda sane esset hominum conditio, si per gravem culpam extincta Baptismi integritate, nullum ei esset perfugium, quo se tegeret, nullum remedium, quo curaretur. Quælibet enim in gravem culpam prolapsio esset indeclinabilis æternæ damnationis subeundæ necessitas, ereptaque esset in naufragio tabula, qua ad beatæ vitæ portum liceret appellere. Sed noluit clementissimus Dominus, dives in misericordia, inchoatum a se opus deperire; intelligensque figmentum nostrum, et ad omne malum pronitatem, nobis tot periculis obssessis, tot tentationum tempestatibus impul-

impulsis, remedium instituit, quo a peccato ad gratiam reditus fieret, a vulnere ad salutem, atque adeo saluberrimum instituit Pœnitentiæ Sacramentum. Hujus autem Sacramenti quoniam usus frequentior est, ideo plus acui debet Pastorum industria, ut ejus efficacitatem insinuent, rationemque tradant ejus cum fructu percipiendi. Non enim tam facilis est ejus consecutio, sicut Baptismi; sed multis cum lacrymis, magnoque labore parandum est, ut a sanctis Patribus, Synodoque Tridentina (1) laboriosus quidam Baptismus dicatur. Finem itaque non faciant docendi populum, nullam rem adeo curæ esse debere, quam ut, frequenti peccatorum confessione, animam studeant cum vera cordis contritione expiare, et ei, qui gravi culpa inficiatur, nullam esse salutis spem, nisi se in ejus sinum conjiciat: ejus frequenti susceptione, ne dum gravissima elui crimina, sed et firmari imposterum animum, ne sordes contrahat: non esse tamen rem obiter, et temere peragendam, sed flendo, et lugendo, immo non modo flendo, sed multo cum studio, et affectu, ut ait divus Joannes Chrysostomus (2); et ejus quidem radices amaras, fructus vero suavissimos esse. Quippe præter cum Deo reconciliationem, quod quidem maximum bonorum est, interdum in viris piis, et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet, ut ait Synodus Tridentina (3).

(1) *Sess. XIV. Cap. II.*

(2) *Homil. V. de Pœnit.*

(3) *Ibid. Cap. III.*

II.

Tanti Sacramenti, tamque necessarii, administri sunt Sacerdotes, quibus Christus ligandi, et solvendi potestatem dedit. Hos Christus, ceu sui ipsius vicarios reliquit, et tamquam præsides, et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christifideles ceciderint; et alii ordinaria, alii delegata jurisdictione funguntur. Quicumque autem Sacerdos, qui ordinaria potestate non gaudeat, sive sæcularis, sive regularis id

munus

munus numquam sibi vindicet extra mortis articulum, nisi a Nobis, vel a Vicario nostro generali fuerit approbatus, facultatemque legitime obtinuerit; alioquin erit ipso facto a Divinis suspensus. Quicumque Parochus beneficium resignaverit (1), nova approbatione indigebit, ut confessiones excipere possit. Et Regulares quidem, quum se se approbandos offerent, suorum Superiorum testimonio muniantur. Confidimus autem, Superiores eos tantum allaturos esse, qui morum integritate tanto muneri pares sint: qua in re eorumdem conscientiam oneramus: nam de scientia nostrum erit explorare. Quicumque autem ad tantum munus delegati erunt, meminerint, se esse adjutores nostros, et ideo ex omni parte se comparare debere, ut nostram curam, et administrationem diligenti studio prosequantur, et adjuvent, decretaque, et præscriptiones nostras religiose tueantur.

(1) *Synod. Buncomp. lil. II. Cap. V., et Hier. Column. P. I. Cap. XI. ex Prax. Ep. P. II. Cap. I.*

III.

Dum id opus aggrediuntur Sacerdotes, Deum enixe rogent bonorum omnium Auctorem, et Patrem luminum, ut sibi spiritum bonum infundat, et recta consilia, et verba sancta suggerat. Semper autem ad hanc administrationem animum peccatis expertem adducant, ne, dum alienas maculas abstergere student, turpius ipsi maculentur. Pietas doctrina corroboretur: nec mediocri contenti sint; sed illam in dies adaugere perpetua exercitatione, continuaque probatissimorum librorum lectione conentur. In opinionum delectu media incedant via, nec ad laxiores, nec ad rigidiores deflectentes. Tuto autem itinere gradientur, si Ecclesiæ sanctiones semper ante oculos habuerint, et maxime damnatas a summis Pontificibus propositiones. Hæ quippe faces, et duces sunt ad veritatem moralium opinionum assequendam. Ad eas proinde in tanto fluctuantium opinionum salo, tamquam ad lapidem adhærescant. Etsi antiquæ disciplinæ ratio multis in rebus,

 tempo-

temporibus immutatis obsoleverit; tamen perutile est, eam exploratam, perspectamque tenere, ut ex ipsa spiritus Ecclesiæ hauriatur: *quippe quidquid vetustate præcellit, idem venerabile est*, ait divus Basilius magnus (1). Sanctorum Patrum præscriptiones, nec non divi Caroli monita optima sunt. Aliorum quoque Confessariorum, quantum fieri potest, existimationem sustineant, et communi quadam conspiratione, et consensu idipsum sapiant.

(1) *Homil. I. de Jejunio.*

IV.

Doctori ecclesiastico, in confessionibus excipiendis, retinenda semper auctoritas est; sed et servanda lenitas ex divo Joanne Chrysostomo (2). Acceptare personas ubique odiosum; at in Sacramentis summum flagitium est. Ne respiciant ergo personas, nemini in vitiis blandiantur, cujuscumque sit gradus, nec alicujus peccatis conniveant; sed, tamquam fideles Christi administri, qualescumque Dei offensas a quibuscumque exterminare studeant. Quos noverint non bene dispositos, vel pravis habitibus, vel occasionibus irretitos, a quibus se nolint excutere, vel odio in aliquem inflammatos, vel re aliena gravatos, nec restitutionem efficaciter intendentes, vel alio modo præpeditos, ab eis absolvendis supersedeant. Id tamen non sine lenitate faciendum; sed ea ratione, ut ii ipsi intelligant, pro sui utilitate absolutionis beneficium protrahi. Neminem umquam contumeliose accipiant: duras increpationes fugiant, ne pœnitentes odisse videantur; sed verba componant *animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis*, ut ait divus Augustinus (3). Suavitas, et lenitas dulcis solet esse peccantium esca, et magnes. Ex infima plebe homines, rudes, ignaros, bardos, morosos, scrupulis exagitatos, vel teterrimis peccatorum sordibus inquinatos ne respuant, modo emendationis indicia præbuerint, et veræ pœnitentiæ. Omnes benigne complectantur, Christi benignitatem, et chari-

(2) *Homil. XVII. in primam ad Timoth.*

(3) *Serm. de Temp. I. Class. XIII.*

charitatem in sordidos peccatores imitentur: minus dispositos adjuvent, ut se comparent; ignaros imbuant: numquam se subiratos, et stomachosos exhibeant, et fastidio, molestiaque occupatos; sed alacriter, et prompte, et sedulo, et patienter munus suum persequantur. Sciant se excellentissimum misericordiæ opus peragere, incredibilem laboris mercedem consecuturos. Nec animum despondeant, si aliquando labori non respondeat fructus. Nam nihil eorum, quæ pro Deo geruntur, nisi id culpa nostra accidat, deperit: *plantam riga*, ait divus Bernardus (1), *fer curam, et tuas explicuisti partes: sane incrementum, ubi voluerit, dabit Deus, non tu. Ubi forte noluerit, tibi deperit nihil, dicente Scriptura: reddet Deus mercedem laborum Sanctorum.*

(1) *Lib. IV. de Consid. Cap. II.*

V.

Confessarii pœnitentem non reprehendant, nisi finita confessione, neque eum interpellent (2), nisi opus fuerit aliquid melius intelligere. Proinde ei fiduciam præbeant, et humaniter suggerant, ut omnia peccata sua rite, et integre confiteatur, remota stulta illa quorumdam verecundia, qua præpediti, suadente Diabolo, peccata confiteri non audent. Si pœnitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum prudenter interrogent; sed caveant, ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineant, præsertim juniores utriusque sexus, vel alias de eo, quod ignorant, imprudenter interrogantes, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant. Efficiant etiam, ut confitentes, præter ea, quæ ex communi hominum malitia patrantur peccata, de illis etiam se se accusent, quæ statui cujusque respondeant. Colloquia vero de vanis, domesticis, et secularibus rebus omnino proscribantur, et amputentur.

(2) *Ritual. Rom. de Sacram. Pœnit.*

V I.

Etsi diebus solemnioribus magna pœnitentium multi-

titudine obsideantur; non est tamen intempestiva festinatione abrumpenda confessionis integritas, ne in censuram damnatæ ab Innocentio XI. propositionis incidant (1); sed sedate, et tranquille quemlibet excutiant, prout necessitas postulaverit; sed nimia etiam, et importuna cunctatio, præsertim quum fœminas audiunt, evitanda.

(1) Propos. Num. 59.

V I I.

Moneant etiam pœnitentes, saluberrimum esse consilium eodem semper uti animi Curatore; sed vero nolint, ita sibi addictos, et quasi mancipatos esse, ut non patiantur alios convenire, præsertim Parochos, confessionis faciendæ gratia, quin et expedire aliquando suadeant. Votis obstringi suos pœnitentes raro, probataque tantum de causa permittant: nimia familiaritate cum pœnitentibus ne devinciantur, maxime mulieribus: nec eas, nisi necessitas, vel gravis causa urgeat, domi conveniant, ne sub specie quidem de rebus spiritualibus tractandi. Quod, si domi (2) ægrotis mulieribus Pœnitentiæ Sacramentum administrent, cubiculi ostium pateat. Neque temporalibus pœnitentium negotiis ipsi se se implicent. Quod si, hortante charitate, id facere aliquando eis conveniret, procul ab Ecclesia, et a Sacramento de iisdem sermo habendus esset. Negotium vero de alicujus conjugio conflando nullo modo attingant.

(2) Ambr. Synod. Not. ibi.

V I I I.

Ex hujus Diœcesis consuetudine, cui est concessa absolvendi facultas, ea uti potest in tota Diœcesi, quoad omnes, exceptis Monialibus, et aliis fœminis in clausura degentibus, nisi restrictio aliqua in patentibus litteris habeatur, aut alia ratione sit imminuta jurisdictio. Hoc tamen munus exequentur, facto prius verbo ad eos, quibus ea Ecclesia commissa est, in qua excepturi confessiones sint.

IX.

IX.

Si noverint quempiam confessionis occasione (1) ad turpia fuisse sollicitatum, eumdem ne absolvant, nisi Sacerdotem Sacramenti proditorem, et labem prius denunciaverit, vel nisi data prius fide hoc perficiendi. Sacerdos complex in re venerea exauctoratus penitus est, nec criminis socium absolvere potest, nisi in mortis articulo, et tunc iis cautionibus adhibitis, quas Benedictus XIV. in altera sua Constitutione (2), quæ Appendici adjungetur, statuit observandas.

X.

Nemo, nisi facultate impetrata, a casibus, et censuris a sancta Sede reservatis absolvere audeat, secus ipso facto excommunicationis reservatæ, aliarumque pœnarum mucrone ferietur ad normam decretorum Clementis VIII., Paulli V., et Urbani VIII. (3), in quas easdem pœnas offendet, qui a peccatis Nobis reservatis sine facultate nostra absolverit. A reservatis vero a Nobis (4) absolvant Canonicus Pœnitentiarius, et Pœnitentiarii nostri, qui pro auditis in confessione ab inferioribus Confessariis subdelegare poterunt. Quæ autem facultas tempore paschali concedatur Parochis absolvendi a reservatis, et quibus limitibus circumscripta, habetur in nostra Encyclica (5), quam in Appendice apponimus. Indirectam absolutionem non tollimus (6), neque improbamus, ubi prudens Confessarius dijudicaverit impertiendam: at ne passim usurpetur. Physica, aut moralis impotentia perpendatur in pœnitente se præsentandi idoneo Confessario, qua possit rite moveri ad absolutionem indirectam: ubi non subsit illa physica, vel moralis impotentia, ad Confessarios idoneos pœnitentes remittant.

XI.

In confessionibus excipiendis ne sint canes muti; sed arguant, et increpent, omnique conatu confitentium emendationem intendant, paratasque habeant monitio-

(1) *Ex Constit. Gregorii XV. et Ben. XIV.* Sacramentum Pœnitentiæ.

(2) Apostolici muneris. *Vid. in Append. Num. V.*

(3) *Ann. 1601. die 9. Januar., et 1602. die 28. Nov. Ann. 1617. die 7. Jan. Ann. 1628. die 17. Nov.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(5) *Vid. in Append. N. VI.*

(6) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

nitiones, et instructiones, quibus permovere, et excitare eosdem possint. Salutares etiam imponant pœnitentias, graviores quidem gravioribus peccatis, leviores levioribus, quorumcumque ætati, viribus, et circumstantiis se se accomodantes, prout prudentia, et profectus pœnitentium postulaverit. Qua in re cavendum, ne vel nimia severitate onera importabilia alligent, vel intemperanti lenitate peccatis patrandis fomentum præbeant (1), sibique graviores luendi pœnas materiem parent. Suspicionem avaritiæ devitent: nihil a pœnitentibus in sede Confessionis omnino accipiant, ne pro celebrandis quidem Missis eleemosynam: multoque minus exigant. Quod si pœnitentibus Missas celebrandas injunxerint, ne stipendia ipsi sibi capiant pro iisdem a se, vel in sua Ecclesia celebrandis, sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto, inflicta a Benedicto XIV. (2), quam confirmamus. Si quid accipiant pro incerta restitutione facienda, id omnino integre in pauperum manus effundant; si tamen de graviori summa agatur, consultius erit, monente divo Carolo, ad Ordinarium, qui Pater pauperum, eorumque bonorum jure suo administrator est, deferre; ideoque ut id faciant, graviter admonemus (3). Si pro certa restitutione secreto facienda quidquam eis datum fuerit, videant, ne ullum confessionis sigillo detrimentum obveniat; factæ autem solutionis schedulam requirant, eamque tradant ei, a quo pecuniam acceperint.

(1) *Synod. Trid. Sess. XIV. Cap. VIII.*

(2) *Notif. IV. Vol. V.*

(3) *Vid. Synod. Hieronym. Columnæ P. I. Cap. XI.*

XII.

Nihil autem antiquius esse debet Sacerdotibus, hoc Sacramentum administrantibus, quam, ut neque in ipsa administratione, neque ullo umquam tempore, neque nutibus, neque verbis, neque ulla ratione quidquam effluere patiantur, unde accepta in confessione arcana patefiant, quod omnem legem naturalem, divinam, et humanam subverteret; gravissimæque Ecclesiæ sanctio-

sanctiones in eos Sacerdotes animadverti volunt, qui ea, quæ aliquis in confessione aperiat, perpetuo, et religioso silentio compressa non teneant. Immo caveant, ne umquam, quæ in confessione acceperunt, etiam tacitis personis, et sub alieno nomine in vulgari consuetudine ad audientium delectationem quasi pro sale, et facetiis narrare pergant. Hæc enim etsi primum ad risum, et jucunditatem capta videantur, abalienant tamen audientes a confessione facienda. Deinde quid turpius, quam ea, quæ ad tam sanctum, venerandumque Tribunal delata sunt, ad risum, delectationemque usurpare? Quum secreto, et corde humili, et contrito confessio habenda sit, neque per nuncium, neque per litteras absenti licebit peccata sacramentaliter confiteri, et a Confessario absente absolutionem obtinere, quemadmodum supremæ Inquisitionis decretis (1), jussu Clementis VIII., et Paulli V. editis, sancitum est; et vetitum, ne quis contrariam sententiam tamquam aliquo casu probabilem defendat, aut ad praxim quovis modo deducat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ summo Pontifici reservatæ.

(1) *Ann.* 1602. 20. *Junii*, et *ann.* 1605. 14. *Julii*.

XIII.

Arcessiti ad alicujus ægroti confessionem excipiendam, præsto sint. Auditæ confessionis schedulam (2) infirmo relinquant, ostendendam Parocho, et Medico, ut ille ad reliqua Sacramenta ministranda, hic ad curationem exequendam procedat. Testamentis vero ne se admisceant: id unum insinuent, præcipiantque, ut consanguineorum, maxime pauperum, rationem habeant in testamento condendo. Si necessitate cogente, vel charitate flagitante, alicujus testamentum excipiant, a stilo in hac Curia nostra civili inducto ne discedant juxta Benedicti XIV. institutionem (3), et formulam; quæ idcirco in Appendice adjungetur.

(2) *Amba Synod. Nost. laud. ibi.*

(3) *Notif. XVII. Vol. V. Vid. in Append. Num. VII.*

XIV.

In Ecclesia confessiones excipiendæ sunt, maxime mulie-

mulierum (1). Confessionum sedes in patenti, conspicuoque loco ponatur, et crate parvis foraminibus intercepta inter pœnitentem, et Sacerdotem instructa, et velo obducta sit (2). Fœminæ ad confessionem ne admittantur, nisi die lucente, scilicet ab ortu solis usque ad ejus occasum (3). Utantur autem in ejus muneris functione superpelliceo, et stola violacei coloris (4), præcipue diebus festis. Omni vero modestia se contineant: prætereuntes minime salutantes, neque oculos huc illucque obvertentes.

(1) *S. Cong. Episc. 29. Martii* 1593.
(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*
(3) *S. R. Congr. 23. Martii* 1686.
(4) *Amba Synod. nost. ibi.*

X V.

Jubet Ecclesia fidelibus omnibus semel saltem quotannis sua peccata confiteri: mosque invaluit sacro Quadragesimæ tempore hoc fieri, quem morem sancta Tridentina Synodus maxime probat, et amplectitur (5), tamquam pium, et merito retinendum. Qui autem confessionem faceret voluntario nullam, omnino præceptum non adimpleret (6). Si quem salutis suæ ratio moveat, aliis etiam temporibus facere confessionem debet. Certe vel periculo mortis imminente, vel quum rem aliquam tractare aggredimur (7), cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, toties confessio prætermittenda non est. Esset vero hominis, quem suæ salutis oblivio caperet, si uno Paschatis tempore hoc se Sacramento munire contentus esset. Nam peccatis obrutus, et peccandi periculis circumquaque conclusus, et tanto medicamine diu destitutus, in apertum æternæ salutis discrimen se se conjiceret. Nec est quod Deum ad indignationem plus provocet, quam in admissis peccatis diu sordescere, nullumque pœnitentiæ sensum habere: *non dolere enim de peccato*, ait divus Joannes Chrysostomus (8), *magis ad indignationem, et iram Deum provocat, quam ipsum peccatum. Sed hæc Diaboli astutia est*, ait idem sanctus Doctor (9): *duo mala facit, ad peccatum allicit, et a pœnitentia arcet*. Idcirco numquam satis multa dicent Pastores, incul-

(5) *Sess. XIV. Cap. V.*
(6) *Ex prop. 14. damn. ab Alexan. VII.*
(7) *Catech. Rom. de Sacrament. Pœnit. Num. 45.*
(8) *Homil. XIV. In Matth.*
(9) *Homil. VIII. De Pœnitent.*

inculcantes populo, ut pie, et religiose, et frequenter ad hoc Sacramentum accedat: quippe Regni Cœlorum clavis jure merito dici potest, juxta illud, quod idem ipse D. Jo: Chrysostomus de latrone ait (1), qui per confessionem sibi viam ad Cœlum paravit: *viden, quanta res sit confessio? confessus est, et Paradisum aperuit.*

(1) *Homil. I. de Cruce, et Latrone.*

CAPUT VIII.

De Casibus Reservatis.

QUoniam ad christiani populi disciplinam magnopere pertinet, ut atrociora quædam, et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolvantur, idque ex veteri instituto summi Pontifices præstiterunt, ut aliquas graviores criminum causas suo peculiari judicio reservarent: Episcopis vero potestatem competere docet Tridentina Synodus (1), ut quædam sibi peccata reservent, non communicata inferioribus Sacerdotibus potestate: Nos veterem disciplinam retinentes, nonnulla quædam graviora peccata, ut studiosius evitentur, Nobis ipsis absolvenda reservamus. Sunt autem, quæ sequuntur.

(1) *Sess. XIV. Cap. VII.*

I. Blasphemia hæreticalis.

II. Adoratio; aut invocatio Dæmonis expressa. Item Maleficium, et quælibet superstitio, quæ fiant cum Sacramentorum, vel cum sacrarum Reliquiarum abusu, etiam nullo secuto effectu.

III. Homicidium voluntarium studiose commissum, non solum quoad committentes, sed etiam mandantes, consulentes, auxilium, vel favorem quomodolibet positive præstantes, effectu secuto.

IV. Copula carnalis cum cognata, sive filia spirituali. Item copula etiam incompleta cum parochiana quoad Parochos, Œconomos, Subsidiarios, et Capellanos; sive habitualiter, sive actu Parocho inservientes in cura Anima-

nimarum. Item incestus in primo, vel secundo gradu consanguinitatis; et in primo gradu affinitatis. Sodomia etiam cum fœminis. Stuprum, etiam Virgine consentiente. Bestialitas. Et hæc omnia quoad masculos tantum, commissa completo decimo quarto ætatis anno.

V. Obscœnitates, aliave crimina cum Monialibus, sive aliis fœminis in clausura degentibus, quomodolibet commissa, vel tentata; nec non verba obscœna. Item accessus virorum ad Monasteria Monialium ad malum finem, cum excommunicatione latæ sententiæ Nobis reservata.

VI. Constitutio ficti patrimonii pro sacris Ordinibus initiando, vel cum pacto illud numquam petendi, vel retrocedendi, antequam eidem ordinando suppetat unde victus honestus subministretur.

VII. Scandalosa solutio Quadragesimæ sine licentia, vel cum licentia obreptitie, aut subreptitie obtenta.

VIII. Dolosa occultatio Tabularum testamentariarum, sive Notarii, sive Hæredis industria. Item culpabilis dilatio post annum in iisdem aperiendis, vel in Legatis piis quibuscumque solvendis.

Sed præter hos casus Nobis reservatos meminisse debent Confessarii, et præ oculis habere casus, qui cum excommunicatione latæ sententiæ Pontifici sunt reservati; et præsertim casus XX. in Bulla Cœnæ Domini contentos, et casus VI, qui extra Urbem, et intra Italiam reservati sunt ex decreto Clementis VIII. Tum etiam Casum illum, quem Bened. XIV. sine ulla excommunicatione reservavit: (1) idest crimen illorum, qui innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices sive per se, sive per alium, falso sollicitationis insimulaverint: Denique constitutiones illas Clementis VIII. (2), et Urbani VIII. (3), quibus, munerum largitionibus utriusque sexus Regularibus districte interdictis, decernitur, Recipientes ita ad restitutionem teneri, ut *restitutione ipsa realiter non facta*, neque etiam in foro conscientiæ absolvi possint.

(1) *Constit.* Sacramentum Pœnitentiæ.

(2) *Incip.* Religiosæ.

(3) *Incip.* Nuper.

CA-

CAPUT IX.

De Extremæ Unctionis Sacramento.

I.

Etsi tota hominis vita perpetua sit lucta, durissimumque certamen; tamen nec ulla acrior instat pugna, nec periculosior conflictus est, quam in terribili mortis articulo, in quo vinci, et perdere inexpiabilem adducit noxam, et omne remedium excludit. Idcirco clementissimus Redemptor noster, qui voluit salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in aliis Sacramentis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, possent; ita extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tamquam firmissimo quodam præsidio munivit. Quare permultum interesse debet Parocho de hoc Sacramento aliquando ad populum verba facere, et depressos inanibus seculi curis animos ad salutarem mortis memoriam revocare, quæ cum hoc Sacramento conjuncta est, et docere, quamplurimas ex eodem proficisci utilitates. Nam reliquias peccatorum abstergit, gratiam corroborat, ægroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: ad certandum bonum certamen adversus Diaboli vim, qui eo tempore omnes suæ versutiæ nervos intendit, auxilium suppeditat: terrorem, et angustias mortis demulcet, et sanitatem etiam corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, impertit. Quamobrem Pastores præsto sint (1), quum opus fuerit, ad hoc Sacramentum conferendum, moneantque fideles, ne adeo cunctentur, gravi infirmitate obrepente, illud exposcere, ut jam amissa omni spe salutis carere vita, et sensibus incipiant, antequam ad extremum inungantur. Magni enim refert ad uberiorem Sacramenti gratiam percipien-

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. II. Cap. VII. et Hieronym. Columna P. I. Cap. XIV.*

dam, si ægrotus ipse integra mente, et ratione vigente, dum sacro Oleo linitur, fidem, et religiosam animi voluntatem afferre possit. Nec omittant illud ad memoriam redigere, aliquando ad salutem necessarium futurum, si alia Sacramenta suscepta non fuerint (1): ceterum a nemine citra grave piaculum prætermitti posse, si ex contemptu, et insigni desidia, aut scandalo negligatur.

(1) Synod. Hieronym. Colum. ibi.

II.

Tota administrationis ratio ex Rituali romano perficiatur. Sacerdotibus autem hujus Sacramenti administratio commissa est; proprie autem animarum Pastoribus, qui jurisdictionem habent, vel aliis, quibus illi ejus muneris fungendi potestatem fecerint. Itaque si Sacerdotes seculares ex se se id munus peragere tentaverint, graviter a Nobis punientur; Regulares vero ipso facto in excommunicationem incident (2). Cogente tamen necessitate cuilibet Sacerdoti id permittitur, ne aliquis tanto beneficio frustretur.

(2) Ex Clementina I. de Privileg.

III.

Habeat igitur Parochus loco nitido, et decenter ornato, non in privatis ædibus (3); sed propter Aram maximam in vase argenteo, seu stanneo Oleum sacrum, sub clave custoditum, quam apud se habeat, nullique laico det; quod Oleum feria quinta in Cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Neque hoc vetus ad inungendos infirmos adhibere liceat, nisi necessitas cogat, aliter pœnis animadvertemus. Optimum autem erit illud Oleum vetus lampadi, quæ coram sanctissima Eucharistia collucet, infusum absumere. Novum vero distribuet Sacrista Ecclesiæ metropolitanæ Parochis, et Regularibus, neque illud umquam laicis deferendum tradet; sed vel Sacerdoti, vel Clerico in Ordine sacro constituto, quemadmodum de sacro Chrismate superius (4) cum Benedicto XIV. præscripsimus.

(3) Synod. Hieronym. Colum. ibi.

(4) Cap. II. §. VIII.

IV.

I V.

Nemini vero, qui graviori morbo affectus non sit, hoc Sacramentum dare licet, etsi in discrimen vitæ venturus sit (1) vel quia periculosæ navigationi se committat, vel quia prælium initurus sit, a quo illi certa mors impendeat, vel etiamsi capitis damnatus ad supplicium raperetur. Neque item mulieribus in partu laborantibus, nisi in vitæ periculum adducantur. Omnes prætera, qui rationis usu carent, ad hoc Sacramentum suscipiendum apti non sunt, ut pueri, qui nulla peccata admiserint, quorum reliquias abstergere Sacramentum possit: nec amentes, et furiosi, nisi interdum rationis usu potiti sint, et eo tempore pii animi indicia præbuerint, modo irreverentiæ periculum non timeatur (2). Nam qui ab ipso ortu numquam mentis, et rationis compotes fuere, nullo modo inungendi sunt. Impœnitentibus vero, et qui in manifesto peccato moriuntur, et excommunicatis hoc Sacramentum penitus denegetur. Infirmis autem, qui, dum sana mente, et integris sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter petiissent, seu dederint signa contritionis, etiamsi deinde loquelam amiserint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus præbeatur.

(1) *Ritual. Rom., et Synod. Jacob. Boncomp. ibi. et Hieronym. Columm. P. I. Cap. XIV.*

(2) *Catech. Rom. de Sacr. Extrem. Unct. Num. 9.*

V.

Dum Sacerdos sacram Unctionem aggreditur, illa omnia parata habeat, quæ in Rituali romano præscribuntur, et quoad potest, Clericum adjutorem habeat. Dum sacræ unctiones peraguntur, circumstantes fervidas pro ægroto precationes fundant. Perficiendæ sunt autem omnes ad singulos sensus præscriptæ unctiones, nullaque prætermittenda, nisi renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest, ut a Rituali romano præscribitur. Illud tamen advertendum, ut, si in viris unctio renum omittatur, in unctione pedum non dicatur, *quidquid per gressum, et per lumborum delecta-*

lectationem deliquisti. Neque enim adhibita ad pedes unctio ullam habet cum renibus cognationem. Si periculum sit, ne ad omnem unctionem complendam satis sit temporis, unica unctio cum universa forma in fronte, vel sensus singulos celeriter percurrendo, suppleat. Si geminos sensus, et alia membra, quæ paria sunt, inungit Sacerdos, caveat (1), ne Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi paria membra perunxerit. Etsi sensus aliquis usu suo careat, sua tamen unctione destitui non debet. Si vero pars linienda mutila sit, proximiori parti unctio admoveatur. In una, eademque ægrotatione, eodem urgente vitæ periculo, semel tantum ungendus ægrotus est. Quod si post susceptam hanc Unctionem æger convaluerit, quoties postea in idem vitæ discrimen inciderit, toties ejusdem Sacramenti subsidium ei poterit adhiberi; Medici autem judicio standum est, an novus sit in morbum lapsus.

(1) *Synod. Hieronym. Colum. ibi.*

VI.

Collato, perfectoque Sacramento, non est a Parocho deserendus infirmus (2). Nam cum a Sapiente dicatur (3) *veh soli*, quid non timendum est homini, acerbis doloribus fracto, cum diro mortis aspectu conflictanti, et innumeris sævissimorum hostium agminibus septo, et oppugnato? Diabolus enim eo validiores hominibus ingerit tentationum ictus, quo finem luctæ instare cognoscit, ut ait divus Gregorius magnus (4). Mandamus itaque Parochis, ne Sacramentis omnibus administratis, ægrotos deserant, neve oves miseras diripiendas lupis relinquant; sed ut identidem eos invisant, verbisque cœlestibus, et divinis in tanto discrimine oppressos confirment; aut per alium Sacerdotem id faciant. Frustra enim cætera pietatis, et religionis officia essent impensa, frustra tot exantlati labores, nisi oves sibi commissas incolumes Christo redderent.

(2) *Amba Synod. nost. ibi.*

(3) *Ecclesiastes IV. v. 10.*

(4) *Lib. XXXII. Moralium Cap. XIX. Edit. Maurina.*

VII.

VII.

Curandum est etiam Parocho, ut festinanti ad mortem infirmo Apostolicæ benedictionis, seu absolutionis beneficium impertiat ex formula a Benedicto XIV. præscripta, et in Appendicem rejecta (1), et quoad fieri potest, tempestive, vi mentis nondum extincta. Et quia beneficentissima Benedicti XIV. sedulitate (2) collatum est hoc absolutionis privilegium cum potestate etiam delegandi, hac Nobis impertita facultate utentes, concedimus, ut Parochus quilibet, vel eo deficiente, Capellanus, vel utroque deficiente, quilibet alius Sacerdos, sive secularis, sive regularis, qui præsto esse possit, censeatur a Nobis deputatus pro ipsa absolutione in articulo mortis tribuenda. Idipsum concessum volumus Confessariis ordinariis pro Monialibus, et suo tempore Deputatis extraordinariis, nec non aliis Sacerdotibus, qui fœminarum in Contuberniis degentium confessiones excipiunt; Nosque ipsi hoc charitatis officio libentissime, quum opus erit, perfungemur. Impendente jam mortis articulo, ex ritu Ecclesiæ facta animæ commendatione, omni pietatis conatu excedentem ex corpore animam muniant, ut ovem suam verus, divinusque Pastor agnoscat. Per aliquot etiam campanæ pulsationes populum admoneant, et excitent, ut piis precationibus exeuntem animam prosequantur, Deumque propitium reddant.

(1) *Vid. in Append. N. VIII.*

(2) *Constit. Pia mater Anno 1747.*

VIII.

Sed dolere satis non possumus Medicorum, consanguineorum, et amicorum immanem quamdam pietatem, qui in gravissimis decumbentium morbis dissimulant, blandiuntur, periculi vim extenuant, ne, ut ajunt, infirmos tristitia obruant, et opprimant timore. Interim morbus ingravescit, vires deficiunt, mens debilitatur, et tunc eis de periculo, et adhuc quasi subdubitantes verba faciunt, cum fatigata doloribus, et angu-

angustiis obfuscata mens fere sibi nihil præsens est: et tunc eis salutaria animi remedia applicantur, quando vix prodesse possunt. Eja igitur, carissimi Filii, pro levi tristitia præcavenda, ne vestrorum fratrum animas prodigatis; sed tempestive de periculo eos monete, ut in re tanta sibi prospiciant, et in tam tremendo articulo bene se comparent, *quia scilicet peccatum, quod hic non corrigitur, ejus venia frustra postulatur*, ait divus Gregorius magnus (1). Nam mortis adventu omnis abscinditur spiritualium remediorum applicatio: *veniet hora, quando theatrum vitæ hujus solvetur, et nullus postea certabit. Non est post hujus vitæ finem negotiatio ..... Hoc tempus est pœnitentiæ, illud judicii*, ait divus Joannes Chrysostomus (2).

(1) *Lib. XVI. Moral. Cap. LXVIII. Edit. Maur.*

(2) *Homil. IX. de Pœnitentia.*

CAPUT X.

De Ordinis Sacramento.

I.

Legimus in divinis litteris (3) a Rege Nabuchodonosore constitutum, ut de abductis in captivitatem hebræis, quidam præstantiores adolescentuli deligerentur, in quibus nulla esset macula, essentque decori forma, et eruditi omni sapientia, cauti scientia, et docti disciplina, quippe tribus annis ad omnem scientiam informati, Regi ministrare possent, dignique eo munere haberentur. Optandum sane, ut quod ille ostentationis, et superbiæ causa constituerat, id in Ecclesia ad Dei gloriam, ad ipsius Ecclesiæ splendorem, et ad animarum præsidium servaretur, ut ii tantum Tonsura primum, deinde aliis Ordinibus initiati, et quasi per gradus quosdam conscendentes, ad Sacerdotii fastigium eveherentur, qui innocentiæ, et sanctimoniæ laude florerent, et divinis rebus, scientiisque exculti, et per-

(3) *Daniel. I.*

politi

politi digni essent summo Regi Christo ministrare. Quid enim sublimius, quid eminentius esse potest eo munere, quod singulari (1) Spiritus Sancti communicatione confertur, quum dicitur: *accipe Spiritum Sanctum*? Idcirco Sacerdotis ministerium, et potestas ipsam Angelorum virtutem superat ob duplicem, qua excellit, potestatem: *quia Sacerdotes Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt, per quos et nos Christiani sumus. Qui claves Regni Cœlorum habentes, quoddammodo ante Judicii diem judicant*, ait divus Hieronymus (2): quæ potestas Angelis minime competit. Sed quisnam est fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Quæ Domini subdubitantis verba ostendunt, non quod ei ignotus esset servus fidelis, et prudens, ut docet divus Joannes Chrysostomus (3); sed ostendere voluit, quam rari sint hujusmodi servi, et quanta sit illius magistratus amplitudo. Nos equidem tanti muneris copiam facturi, non possumus non exhorrescere, memores illius Apostolici præcepti (4): *manus cito nemini imposueris*. Idcirco in gravissima hac re omnem rationem, et curam, et laborem, et diligentiam adhibere conabimur, et eorum auxilium flagitamus, quorum operam, cum in reliquis pastoralibus officiis, tum in hoc maxime necessariam et sentimus, et profitemur.

(1) *Divus Joan. Chrysost. Lib. III. de Sacerdot.*

(2) *Epist. XIV. ad Heliodor. Edit. Vallart.*

(3) *Lib. II. de Sacerdot.*

(4) *I. Ad Timoth. V. 22.*

II.

Itaque, ut a rei principio ducatur exordium, nemo in ecclesiasticum cœtum irrumpere debet, quem non Deus ad tantum munus invitet: *videte vocationem vestram, fratres* (5), ait Apostolus. Non enim quis ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo vocante ad tantam dignitatem inhiare debet, non parentum desideriis, et importunis suasionibus obtemperando, non temporalis lucri cupiditatem consectando, non alicujus beneficii consecutione delinitus, non honoris illecebra devinctus, non secularis auctoritatis de-

(5) *I. Corinth. I. 26.*

clinandæ proposito seductus; sed a Deo, tamquam Aaron, vocatus in ecclesiasticam Sedem se debet recipere. Si Dei vocatio desit, qualiacumque habeat vel generis, vel scientiæ ornamenta, hæc in nihilum recident, majoremque parient ruinam. Itaque qui se Ecclesiæ officiis devovere intendunt videant, et attente perpendant, an ex Dei afflatu, vel an ex mundanis cupiditatibus permoveantur. Ut divinæ electionis documenta in se habeant, satagant per bona opera certam vocationem, et electionem facere. Ad Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ religiose, et frequenter accedant: ab omni peccato, præsertim carnis, diligentissime caveant, ne divinæ Sapientiæ lumen obtundant: enixis precationibus operam dent: prudentiorum consilio se muniant. Hinc volumus, eos omnes, qui in Civitate degunt, et ecclesiastico Choro adscribi petunt, diebus Dominicis ad Sodalitium Clericis destinatum, et a Benedicto XIV. erectum accedere, et consuetis ibi exercitationibus vacare, Sacramenta statis diebus percipere, et verbi Dei pabulo nutriri. Qui in civitate Centi morantur ad Sodalitium accedant a Nobis in ædibus Seminarii institutum, atque ibi eadem obeant pietatis officia. Qui vero in Diœcesi morantur, meminerint Tridentinam Synodum præscribere (1), ut Ecclesiæ servitio addicti sub Parochi disciplina Sacramenta frequentent. Atque hoc omnes præstare debebunt, donec ad Sacerdotium promoti sint. Qui id facere prætermiserint, frustra ad Ordines promoveri postulabunt: ideoque cum aliis consuetis attestationibus, testimonium etiam de assidua Sodalitii, et Ecclesiæ frequentatione quisque ordinandus ad Nos de scripto deferet.

(1) Sess. XXIII. Cap. XIII. et XVI.

III.

Excutiant igitur sese, et prospiciant viam, antequam currant: *ante, juxta consilium Salvatoris* (2), *sedisse debueras, ante æstimasse opus, metiri vires, ponde-*

(2) Luc. XIV.

ponderasse sapientiam, merita comparasse, sumptus computasse virtutum, ait divus Bernardus (1). In utraque enim parte excellere Clericus debet, et morum integritate, et doctrinæ laude præstare. Hæc enim duo sunt Clericatus luminaria: luminare majus sanctitas vitæ: luminare minus doctrinæ præstantia. Hæ duæ sunt arbores in sinu Ecclesiæ insitæ, arbor vitæ, et scientiæ boni, et mali. Hæ illa Urim, et Thummim, quæ summus Sacerdos gerebat insculpta, doctrinæ, et sanctitatis insignia. Cui alterutrum ex his desit, in Clericalem palæstram ingredi non audeat. Quod enim accedet Ecclesiæ emolumentum, si qui corruptis moribus, et doctrinæ expertes, in hoc Ecclesiæ cœlum invadant, non jam lucentes Stellæ, sed tenebricosi quidam, et fumantes Cometæ, futuri non divinæ gloriæ vindices, sed proditores, non salutis animarum incitamentum, sed labes? Horum numerus quo plus augescit in Ecclesia, eo magis ipsa deturpatur, et læditur; unde ajebat divus Bernardus (2): *dilatata videtur Ecclesia: ipse etiam Cleri sacratissimus Ordo super numerum multiplicatus est. Verum, etsi multiplicasti gentem, Domine, non magnificasti lætitiam, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quam numeri accessisse*. Itaque qui bene morati non sint, ab hac sacra militia alieni sunt: amoribus dediti, mulierosi, ventri indulgentes, venationi addicti, rixatores, ad vindictam proclives, contumaces, parentibus non obtemperantes, voluptatum amatores, choreas, ludosque prosequentes, in ornatu, et cultu corporis intemperantes, otio torpentes, theatra, et ludicra mundi spectacula frequentantes, indigni sunt, quibus tantum honoris culmen conferatur: quippe solaribus radiis puriorem esse oportet Sacerdotem, ait divus Joannes Chrysostomus (3).

(1) *Lib. II. de Considerat. Cap. VI.*

(2) *De Convers. ad Cleric. Cap. XX.*

(3) *Lib. VI. de Sacerdot.*

I V.

Jam Nos in hoc semper elaboravimus, ut ii tantum hoc honore decorarentur, qui et pietate commen-

darentur, et doctrina non carerent. Sed quoad morum integritatem, quod præcipuum caput est, etiam Parochos in hujus sollicitudinis societatem advocamus. Ii igitur, quum publice aliquos enunciant initiandos, populum doceant, quanti intersit christianæ Reipublicæ optimos assumi Ministros, qui moribus sanctis eluceant, et, tamquam sal, condire ceteros pietate, et doctrina possint; atque adeo teneri unumquemque revelare, et prodere, si de aliquo agatur, cui nota aliqua turpitudinis inusta sit. Iidem Parochi, recurrentibus diebus Dominicis, qui quatuor tempora antecedunt, docere pergant, ob eam etiam causam illa solemnia instituta fuisse jejunia, ut, quum per eos dies sacræ Ordinationes peragantur, divinum Numen imploretur, et iis tantum divina ministeria tradantur, qui fideles esse queant mysteriorum Dei dispensatores. Quare et carnis mortificatione, et ferventi precatione incumbendum, ut Ecclesia novis semper Administris, tamquam facibus illustretur. Et quidem ipsi Parochi, et Vicarii foranei, cum per se, tum per alios diligenter inquirant, et vestigiis omnibus persequantur, quam vitæ rationem ducant, qui initiari petunt, vel ex parte initiati sunt, quorum consuetudine utantur, quibus occupationibus vacent, quam sint parentibus morigeri, quam servent in loquendo modestiam, quam præseferant honestatem. Si quid minus rectum, nec ex christiana disciplina profectum deprehenderint, Nos secreto per litteras certiores faciant. Caveant vero, ne dissimulent, ne conniveant, nec horum turpitudinem, quæ in Ecclesiæ perniciem redundaret, obtegant; secus gravissimas Christo daturi pœnas, tamquam ejus gloriæ, et Ecclesiæ sponsæ suæ proditores.

V.

Sed nihil ad formandos mores aptius, nihil utilius, quam sepositis omnibus secularibus curis, in sanctum aliquod Contubernium se se recipere, et in unam animæ

animæ salutem intendere. Quod jam summi Pontifices Alexander VII., Innocentius XI., et Clemens XI. sapienter constituerunt (1), ut ii, qui sacris præcipue Ordinibus initiandi essent, decem dierum spatio id peragerent, Nos omnino servandum volumus, ut decem dierum spatio in domo Sacerdotum Missionis commorentur, et spiritualibus tantum exercitationibus intenti, et a ceteris curis omnino vacui. Atque idipsum in suis Regularibus domibus Regulares præstitisse ex suorum Superiorum commendatitiis litteris testatum volumus. Igitur quicumque ad hosce gradus conscendere cupiunt, decem dies Deo, et sibi unice impendant: sedeant solitarii, et taceant, et levent se super se. In hac animi requie scrutentur seipsos, vires suas metiantur: videant, an Deo auctore sperent se continere posse: turrim inchoaturi sedentes computent, ne forte sumptus non habeant ad perficiendum. Multi enim propriæ fragilitatis non ignari, incaute ingrediuntur, et cum turpitudine perseverant, ut illud ejusdem divi Bernardi verum efficiatur (2): *ingrediuntur cum hac macula tabernaculum Dei viventis: inhabitant cum hac macula templum sanctum Domini polluentes, judicium multiplex accepturi, quod et tam gravissimas conscientias gerant, et nihilominus se se ingerunt in Sanctuarium Dei*. Quamobrem, ne in horum miseriam incidant, in luce rerum æternarum positi, in splendore fulgurantis hastæ videant iter, quod arripuerunt, et viam, quam ambulare cœperunt, ne forte novissima ejus deducant ad mortem. Hinc, posthabito omni humano judicio, deliberent, an melius sit progredi, vel tutius regredi. Quoad Clericos vero minoribus Ordinibus initiandos, idem per triduum fieri constituimus in ædibus Seminarii nostri, juxta morem, quem aliquot ab hinc annis Nos ipsi præscripsimus.

(1) *Vid. Bened. XIV. Notif. XVI. Vol. V.*

(2) *De Conv. ad Cler. Cap. XX.*

V I.

At morum probitati nisi litterarum subsidium accedat,

cedat, nulla, aut fere nulla expectanda Ecclesiæ utilitas est. Apostolus (1) in Timotheo omnem ecclesiasticum virum erudiens, eidem indicit: *attende tibi, et doctrinæ: hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt*. Non igitur suæ tantum salutis studiosus Ecclesiasticus esse debet, sed etiam doctrinæ ad aliorum salutem procurandam. Nos Clericos nostros doctrina, et scientiis abundare desideramus. Itaque optamus vehementer, ne præpostera festinatione litterarum curriculum perficiant; sed ut grammaticæ fundamenta bene jaciant, tum litteris humanioribus se dedant, dein Rethoricæ, tum Logicæ, et Philosophiæ, deinde Theologiæ scholasticæ, et dogmaticæ, tum sacris Canonibus, et divinis Scripturis, et Morali facultati diligentem operam navent. Quemlibet initiari petentem diligenti examine discutiemus. Qui minores sibi conferri ordines desiderant, volumus, ut in linguam latinam incumbant, seque comparent ad litteras humaniores addiscendas. Exigemus autem ab iis, qui ad Ordines sacros admitti petent, ut Theologiæ scholasticæ, et dogmaticæ, vel morali, et sacrorum Canonum studio dent operam, quemadmodum præscribit Benedictus XIV. (2); sed neminem ad Subdiaconatum admittemus, quem non bene in Logica versatum intellexerimus. Sed insuper exigemus Rubricarum Breviarii, et cantus Gregoriani peritiam saltem aliquam, pro ut locorum opportunitas postulabit, et Ordinandorum conditio patietur.

(1) I. Timoth. IV. 16.

(2) Notif. II. Vol. I. Et Notif. I. Vol. III.

VII.

Regulares quoque, nonnisi prævio examine ad Ordines suscipiendos admittemus (3), et nisi exhibitis proprii Superioris litteris dimissorialibus ex decreto jussu Clementis VIII. edito (4), et ab Innocentio XIII. confirmato (5). Si quis vero eorum, habito examine, reprobabitur, et nihilominus in fraudem, aut alias illegitime se alteri Episcopo sistere præsumpserit, ipso jure (6) ab Ordinibus susceptis erit suspensus, suique Superiores incident in pœnas iis

(3) Synod. Trid. Sess. XXIII. Cap. XII.

(4) Anno 1596.

(5) Constit. Apostolici ann. 1723.

(6) Vid. Notif. III. Vol. II.

nas in laudato decreto latas, quod Nos mandato Benedicti XIII. obtemperantes, ne quem illius ignorantia excuset, in hac Synodo evulgamus (1). Iidem Regulares ab aliis Ordinariis dimissi, Ordinationis favore non gaudebunt, nisi Nobis ex litteris dimissorialibus constiterit, iis omnibus esse munitos, quæ de jure requiruntur, quemadmodum jampridem docuit (2), ac subinde apostolica sua Constitutione (3) Prædecessorum Decreta confirmans declaravit Benedictus XIV. Et licet prævio examine adprobati fuissent; id tamen non officiet, quin et a Nobis novo examine explorentur.

(1) *In Conc. Rom. Tit. XXI. Cap. II. Vid. in Append. N. IX.*

(2) *Notif. III. cit.*

(3) Impositi nobis 1747.

VIII.

Subditi nostri, qui ordinandi ad alios Episcopos fuerint missi, intra duos menses tradant Nobis litteras ab Ordinante acceptas sub pœna suspensionis, ut eas recognoscamus, curentque, ut ipsorum nomina referantur in Curia nostra in librum ceterorum Ordinatorum. Si quis autem absque litteris nostris dimissorialibus ab alio ordinationem exceperit, ab ejusdem ordinis executione sit ipso facto suspensus (4), atque hac eadem suspensione ipso facto multabitur, qui dolose ad Ordines suscipiendos accesserit, non prævio examine, vel facultate a Nobis non obtenta, vel falsis testificationibus exhibitis (5). Quod si hac suspensione implicatus in Ordine suscepto ministraverit, ipso facto irregularis evadet, aliisque pœnis erit obnoxius a Nobis infligendis.

(4) *Synod. Tridènt. Sess. XIV. Cap. II de Reform.*

(5) *Synod. Boncomp. ibi. et Columm. P. I. Cap. XIII.*

IX.

Quia vero omni et corporis, et animi vitio carere debent ii, quibus Sacramentum hoc confertur, pueri, amentes, furiosi, viri sanguinum, et homicidæ, servi, et ii omnes, qui ex legitimis nuptiis non sint procreati, ii, quibus infamiæ dedecus hæreat, qui insigni corporis vitio deformes sint, epileptici quoque, perjuri, criminosi, ebriosi, usurarii, impudici, lapsi post Ordinem, peregrini, et ignoti, bigami, et qua-

cumque

cumque irregularitate irretiti, censuris obstricti, iique, qui latinam linguam ignorent, ab eo suscipiendo depellendi sunt.

X.

Qui prima Tonsura initiari velint, ex Tridentina Synodo (1) Sacramentum confirmationis suscepisse debent, et ii arcendi, qui fidei rudimenta docti non fuerint, quique legere, et scribere nesciant, et de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc genus vitæ elegisse. Volumus etiam, ut afferant testimonium, se ab Judicibus inquisitos minime fuisse, nec rationibus reddendis obstringi, nec alio canonico impedimento affici. Ab omnibus autem, antequam initientur, requiremus, ut alicujus Ecclesiæ ministerio addicti sint, in qua susceptos Ordines exerceant: quippe hujusmodi ministeria, nonnisi per constitutos in ipsis Ordinibus, exerceri debent ex Tridentina Synodo (2): deinde ut ejus Ecclesiæ functionibus præsto sint, et cum omni reverentia erga Parochos, et Sacerdotes se gerant, et in tradenda diebus festis christiana Doctrina operam collocent. Hac enim ratione in eis cum ætate vitæ meritum, et doctrina major accrescet, et ad altiores gradus, et sacratissima Mysteria fiet ingressus, et tamquam in Christo adolescentes informati, mox exhiberi poterunt homines perfecti in eodem Christo Jesu (3). Neque Nos quempiam ad altiorem gradum provehemus, de quo certum testimonium non acceperimus, hunc sacræ exercitationis cursum tenuisse. Nullus vero, qui qualicumque ex causa clericalem habitum dimiserit, eumdem Nobis inconsultis resumat, alioquin præter pœnas arbitrio nostro infligendas, spe ultra progrediendi destituetur.

(1) Sess. XXIII. Cap. IV. de Reform.

(2) Sess. XXIII. Cap. XVII. de Reform.

(3) Ad Colos. I.

X I.

Quum nemo debeat ad Ordines promoveri, qui vel beneficium ecclesiasticum non obtineat, vel patrimonium

monium non habeat, quibus non erit sufficiens beneficium, patrimonium habere volumus, quod congruæ Ordinati sustentationi respondeat spectatis personarum circumstantiis, quodque generatim reditus habeat ducentarum librarum monetæ bononiensis (1) ex bonis stabilibus, certis, et fructiferis, et nominatis, et pacifice possessis. Hujus stipulatio coram Vicario nostro generali fiat; sed prius indicenda Clerico suspensio ipso facto incurrenda (2), si ficte, et dolose quovis modo in hujusmodi constitutione se gesserit: tum excommunicatio denuncietur (3) latæ sententiæ contra testes deponentes falsum circa bona patrimonii, incurrenda æque ab omnibus, si fictum, aut falsum fuerit patrimonium, seu cum tacito, vel expresso pacto, quod Ordinatus numquam sit idem petiturus, aut aditurus. Injungimus etiam Parocho Ordinandi, et alteri Parocho, intra cujus fines bona patrimonio assignata forte contineantur (4), ut prævio mense ante Ordinationem die festo intra Missarum solemnia ejus denunciationem faciant, ut, si quid juris alteri competit, constare possit: monentes populum teneri ad denunciandum, ubi dolum, vel fraudem intercedere, vel aliquod impedimentum subesse noverit. Oppositiones autem, et exceptiones ipsi recipiant, et ad Cancellarium Curiæ nostræ deferant. Præterea Nos ad fraudes, dolosque amovendos, aliarum Synodorum sanctiones imitantes jubemus, a testibus, et peritis sponsionem dari supplendi de proprio (5) quidquid æstimationi per ipsos factæ circa pretium, et censum patrimonii deesse compertum fuerit, eamque sponsionem in publicum documentum, seu instrumentum de constitutione patrimonii referri. Illud quoque negligendum non est, quum patrimonium ab illis conficitur, qui in Civitate minime degunt, ab ipsis, nempe testibus, exposcatur (6), utrum præter bona ad patrimonium collata a parentibus, certo sciant, alia superesse, quæ ipsis, eorumque familiis

(1) *Synod. Jacob. Boncomp ibid. Et Bened. XIV. Notif. VI. Vol. II.*

(2) *Synod. Trid. Sess. XXI. Cap. II. de Ref. Declar. Sacr. Congr. Concil. 27. Nov. 1710.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

(4) *Ambæ Syn. nostr. ibi. et Bened. XIV. loc. cit.*

(5) *Bened. XIV. loc. cit.*

(6) *Bened. XIV. loc. cit.*

miliis sustentandis sufficiant: scilicet ne cui irrogetur injuria, neve quis mendicare cogatur.

XIII.

Sed et Tridentini Concilii sanctioni inhærentes (1) vetamus Ordinatis titulo patrimonii alienare, extinguere, remittere, et quovis modo gravare idem patrimonium sine facultate a Nobis de scripto obtenta, declarantes irritum prorsus omnem contractum super eo initum, ultra pœnas per sacros Canones inflictas, et arbitratu nostro decernendas. Quod si Ordinatus (2) beneficium obtinuerit, nolumus integrum illi esse, alienare, extinguere, remittere, aut gravare patrimonium, nisi prius legitimis argumentis constiterit beneficii reditus sufficere ad ejus sustentationem. Deinde facta alienatione, seu dimissione patrimonii ex concessione nostra, inhibemus sub pœnis Nobis arbitrariis, ne ulla resignatio, renunciatio, dimissioque beneficii fiat, nisi constiterit, quod aliunde vivere commode possit, actusque universos, qui secus fiant, irritos declaramus.

XIV.

Ex veteri Ecclesiæ consuetudine, cujus divus Gregorius magnus (3), aliique meminerunt, qui in una Ecclesia ordinati sunt, ejus nempe utilitatis causa, in alias commigrare non debent: idcirco sive qui ex beneficii, sive patrimonii titulo a Nobis initiati erunt, nostræque Diœcesi addicti, discedere non valeant (4), nisi a Nobis per litteras dimissoriales potestate facta. Immo ii ipsi, qui in Diœcesi nostra alicui Ecclesiæ assignati sunt, ad alias Ecclesias Diœcesis nostræ servitii causa (5) se recipere non debent, Nobis inconsultis.

XV.

Vos nunc alloquimur, quotquot initiati huic Ecclesiæ nostræ nomen dedistis. Etsi vestræ dignitati nulla par sanctitas sit, quum excedat illam Angelorum, vitamque requirat Angelis supparem; tamen non levis lætitiæ Nobis materies est, quod eam æmulemini virtutem,

(1) *Sess. XXI. Cap. II. de Ref.*

(2) *Synod. Trid. loc. cit. Et Syn. nostr. ibid.*

(3) *Lib. V. Epistolar. Epist. XVII. et ex aliis. Edit. Maur.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

(5) *Synod. Trid. Sess. XXIII. Cap. XVI.*

tem, quæ hanc vitam decurrentibus viris Dei conveniat. Quum vestros labores in animarum salute procuranda videmus, et vestram in omni doctrina comparanda sedulitatem, ardoremque in Dei gloria adaugenda, gaudemus in Domino vehementer, et exultamus. Id enim vestrum est studium, id meritum, ut ne dum in hujus Ecclesiæ commodum, splendoremque redundet; sed in alias quoque Ecclesias vestrorum laborum fructus effundantur. Pergite itaque, quo cœpistis: sane deriventur fontes vestri foras, et cum alienis aquas vestras dividite; sed illud maxime intendite, ut salutares has aquas Ecclesiæ vestræ impertiatis. Implete igitur gaudium nostrum, Fratres mei carissimi, et desideratissimi (1), sic state in Domino. De cetero quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.

(1) Ad Philipp. IV. 1. et 8.

CAPUT XI.

De Matrimonii Sacramento.

I.

NIhil est Matrimonio honestius, nihil præstabilius; sed et hominum malitia nihil deturpatius. In eo nihil, quod divinum non sit. Nuptias ad officium naturæ Deus ipse instituit, ut iis arctissimo vinculo devincti, et copulati conjuges se invicem societatis, et fidei bono solarentur, et adjuvarent: et procreatis liberis humanum genus propagarent, sanctæque, et veræ Religionis cultores post se relinquerent. Extincta autem primi parentis lapsu originali justitia, rectæ rationi reclamante appetitu, æstuque libidinis exardescente, indulsit Deus, ut iisdem etiam, tamquam medicamento quodam, si

se homines continere non valent, ad sedandam carnis rebellionem uterentur. Neque intra hos tantum fines nuptias conclusit clementissimus Dominus, sed et præstantioribus bonis cumulavit. Nam et nuptiarum celebritatem sua præsentia Christus honestavit, et Matrimonium, ut inter alia catholicæ Ecclesiæ Sacramenta numeraretur effecit, ut Ecclesiæ, et ipsi Christo veri filii procrearentur: *gratiam*, ait Sancta Tridentina Synodus (1), *qua naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor, atque perfector, sua nobis passione promeruit. Quod Paullus Apostolus innuit, dicens* (2): *viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea: mox subjungens: Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et in Ecclesia*: unde nihil in eo elucet, nisi sanctum, et honestum, ut de eo dicat idem Apostolus (3): *honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus.*

(1) Sess. XXIV. sub init.

(2) Ad Ephes. V.

(3) Ad Hebr. XIII. 4.

Sed tanta sacri fœderis bona, tantamque dignitatem plures flagitiosi homines pervertunt, et vitiant: quot enim sanctæ societatis obliti, sola stimulante libidine, et explendæ cupiditatis impulsu ad nuptias convolant? quot criminibus ipsas nuptias antevertunt? quot flagitiis initas commaculant? quot dissidiis infringunt? quot alienis amoribus dehonestant? Ut quod ad animi solatium, ad honestatis tutelam, ad pacis commodum, ad Christi gloriam, et Ecclesiæ utilitatem institutum est, id ad animi amaritudinem, ad honestatis exitium, et labem, ad contaminatissimos amores, ad dissidiorum furores, perpetuasque pugnas, ad Christi contemptum, ad Ecclesiæ dolorem miserrime pertrahant. Quanta igitur postulatur in Parochis vigilantia, et industria, ut de hoc tam magno Sacramento sæpissime disserant, doceantque populum, quæ in ipso sanctitas, et religio lateat, quæ mysteria contineat, qua ratione iniri nuptiæ

ptiæ debeant, qua integritate, quum susceptæ sint, perfici, quæ inter conjuges concordia, consensioque animorum servanda sit, ne fideles Matrimonii specie decepti, turpitudini, et nefariis libidinibus indulgentes, se ipsos perdant, prolemque, quam Christo reddere debebant, Cœlique hæredem efficere, Diabolo tradant æternis suppliciis obnoxiam. Ne igitur prætermittant animarum Curatores hanc tam necessariam doctrinam tradere, eo præsertim tempore, quo, emensis diebus, quibus nuptiæ prohibentur, iterum permittuntur.

II.

Sponsalia, quæ non sunt, nisi Matrimonii exordia, multis sæpe flagitiis corrumpi, inficique solent. Quidam enim (1) insciis, et aliquando adversantibus parentibus, futuri Matrimonii fidem dant: alii, etsi in præsentia se ei contrahendo impares, vel ob paupertatem, vel ob aliam rationem cognoscant, sponsionibus se obligant post plures menses, immo et annos adimplendis. Alii etiam alieno animo, et voce tenus spondent, puellas incautas inescantes, et ad pravas voluptates aucupantes. Nec desunt, qui postquam uni fidem obligarint, novis sponsionibus cum aliis deinde implicentur. Denium plurimi, nullo adhibito teste, fidem suam obstringunt, et in multas difficultates, et incommoda Matrimonium conjiciunt. Hos tam infelices sponsalium contractus perpendant animarum Curatores, et opportunis monitionibus remedium pro vitibus adhibere satagant. Nam quæ, insciis parentibus, geruntur sponsalia, ut omnino illicita, et culpa infecta, generatim loquendo, traducenda sunt; cognita vero justa, et rationabili parentum dissensione solvi debent, licet jusjurandum intercessisset (2). Quare hortentur filios familias, ut parentibus, et iis, in quorum fide, et potestate sunt, eum honorem tribuant, ut, ipsis inscientibus, ne dum invitis, et repugnantibus, Matrimonia non ineant, ne se in id crimen induant,

quo

(1) *Bened. XIV. Notif. V. Vol. III.*

(2) *Bened. XIV. ibi.*

quo reproborum exemplar Esau (1) implicitus fuit, qui in uxorum delectu pios parentes offendit: qua in re depravatis se esse moribus ostendit, quod inconsultis parentibus uxores duxerit, ait divus Joannes Chrysostomus (2). Ad parentes enim pertinet filiis uxores sumere, et opportuno tempore destinare ex eodem sancto Doctore (3). Ex hisce conjugiis, insciis, vel invitis parentibus initis, tot in familiis lites, discordiæ, et perturbationes existunt, ut evitari merito debeant.

(1) Genesis XXVI.

(2) Homil. LIII. in Gener.

(3) Homil. IX. in I. ad Timoth.

Nos igitur Parochis interdicimus, ne, Nobis inconsultis, talia conjugia ad populum denunciare valeant; illos vero omnes, qui hisce sponsalibus opem, et favorem vel consilio, vel tabulas scribendo, vel alio quocumque modo adjumentum præbuerint, etiamsi consanguinei, vel affines fuerint, aut publici Notarii, condignis pœnis multabimus. Illos etiam increpent, et gravissimis verbis exagitent, qui longe antequam nuptias celebrare possint, fidem dant, et interim familiarius, et licentius invicem versantur, quam ut honestas, et pudor patiantur, et sub conjugii ineundi integumento turpissimas fovent amicitias: atque adeo moneant, ne a sponsalibus contractis longius, quam par est, elabatur tempus, vetentque, ne sponsi, remotis arbitris, secum colloquantur, fœdissimosque amores enutriant. Nos ipsi certiores facti enitemur, ut hæc pestilentissima libidinum, et periculorum radix evellatur. Doceant vero indecorum esse, et criminosum (4) verbis uti ad promissionem explicandam accommodatis, quum tamen fidem dare reipsa non intendant. Etsi enim constet hujusmodi sponsalia sua vi destitui; tamen lethali culpa non carent, et quæ ex ipsis obrepserent damna, reparanda essent. Ostendant etiam, eos gravi culpa inquinari, qui primis sponsalibus adhuc integris ad alia deveniunt, quæ nullius momenti, ac ponderis existimanda sunt. Sponsalia vero verbo, et animo concepta, sed litteris non mandata (5), etsi sponsos ob-

(4) Bened. XIV. loc. cit.

(5) Ibidem.

sos obstringant; tamen satius esse doceant, ut in tabulis saltem privatis exarentur, adjecta contrahentium subscriptione, testibusque adhibitis. Ita enim contrahentes convinci poterunt, nec erit facilis tergiversandi locus: quod de verbis ultro citroque habitis, quæ cito prætervolant, dici nequit.

III.

Parochi porro illa omnia ex probatis auctoribus cognita habere debent, quæ in Matrimoniis rite conficiendis servari oportere sacri Canones, et præcipue sancta Tridentina Synodus jussit, quæque sint canonica Matrimonii contrahendi impedimenta, et quæ contractum dirimant, et qui sint gradus consanguinitatis, et affinitatis, et item cognationis spiritualis ex baptismi, vel confirmationis Sacramento contractæ. Admoniti vero de aliquo Matrimonio in sua Parochia contrahendo, contrahentium voluntatem diligenter explorent (1), non quidem in Ecclesia, sed vel in suis ædibus, vel in aliqua proximiorum consanguineorum contrahere volentium domo: et quidem secreto, et sejunctim ambos sponsos interrogent. Cognoscant vero, an Fidei catholicæ rudimentis satis instructi sint, an munia conjugum perspecta habeant, an præcepto Paschatis obtemperaverint, an sit inter eos aliquod canonicum impedimentum: utrum in legitima ætate sint, ac sponte, et libere, et nullius impulsu, et vi contrahere deliberaverint. Si ex hac inquisitione nihil emergat, quominus ad Matrimonium procedatur, hortentur sponsos, ut ferventius vacent precationibus, ut eas consequantur ab auctore bonorum omnium Deo benedictiones, quibus toto vitæ tempore in timore Domini vitam degentes, et in pace, concordiaque versantes, filiosque sancte instituentes, sibi ad æternam vitam aditum parent, memores cito transire hujus mundi figuram, et Christianos, tamquam advenas, et peregrinos hunc vitæ curriculum debere percurrere, ut qui

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. II. Cap. IX. Et Hieron. ColumN. P. I. Cap. XV.*

habent

habent uxores, tamquam non habentes sint. Indicant vero (1) nuptias contracturis, ne solus cum sola in eodem cubiculo, vel domo cohabitent, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, Nobisque reservatæ, si sponsi se invicem cognoverint. Idipsum ne fiat, parentibus indicant, qui eadem pœna illigati erunt, si connivendo, dissimulando, vel indulgendo copulari permiserint, ut, qui stupris intercludere viam debeant, eamdem ipsi aperiant: quos etiam pœna decem aureorum, aliisque arbitrariis multatos volumus, si in rem tam nefariam quoquo modo consenserint.

(1) *Bened. XIV. loc. cit. Et Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

I V.

Contractis sponsalibus, ter a proprio contrahentium Parocho (2) continuis diebus Festis in Ecclesia intra Missarum solemnia, et quidem in majori populi frequentia, publice denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Nec ulla ex hisce denunciationibus omittatur sine facultate a Nobis de scripto obtenta, quam legitimis tantum causis postulantibus concedemus. Dispensatio vero a Nobis facta in Parochiæ tabulario custodiatur. Dum Parochi faciendis proclamationibus dant operam, moneant populum, teneri unumquemque impedimentum, si quod cognitum habeat, etsi occultum detegere, ne tanti momenti Sacramentum in irritum cadat. Si vir, et mulier (3) Parochiæ sint diversæ, in utraque fiant denunciationes: nec Parochus, ad quem Matrimonium celebrandum spectat, eidem se præstet, nisi ab altero Parocho testificatione de scripto accepta, peractam fuisse ab eo trinam denunciationem, nec ullum impedimentum emersisse.

(2) *Synod. Trid. Sess. XXIV. Cap. I. de Refor. matrim.*

(3) *Amba Synod. nost. ibi.*

V.

Ubi bimestre a peractis denunciationibus elapsum sit, et Matrimonium celebratum non fuerit, denunciationes eædem iterentur (4). Si sponsorum alter in aliam Parochiam demigraverit, et ibi domicilium posuerit, in utraque denunciationes fiant, in illa scilicet prioris domi-

(4) *Amba Syn. laud. ibi.*

domicilii, et in altera, in qua ad duos menses habitaverit.

V I.

Dum proclamationes fiunt, si vel impedimentum afferatur ab aliquo, licet de eo non omnino constet, aut etiam suspicio sit, fraude, et dolo esse pertextum, vel si de eo qualecumque dubium existat, supersedeat Parochus a reliquis denunciationibus faciendis, et multo magis a Matrimonio celebrando, et ad Tribunal nostrum res deferatur (1). Dolose vero, et falso deponentes, vel iniquo testimonio confirmantes, ipso facto anathemati subdimus (2), aliisque pœnis, arbitrio nostro irrogandis. Ii vero pœnis arbitrariis punientur, qui perspecta cum habeant impedimenta, eadem post tertiam denunciationem non revelaverint, et studioso silentio compresserint.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

V I I.

Quum nefarium crimen sit Matrimonii libertatem violare, sancta Tridentina Synodus (3) quoscumque cujuscumque dignitatis, gradus, et conditionis sint, anathematis pœna coercet, quam ipso facto incurrant, si quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscumque alios cogant, quominus libere Matrimonia contrahant. Quod si casus eveniat (4), ut Parochus vim illatam ab aliquo in Matrimonii negotio deprehendat, de hac re Nos certiores faciat, et opportunis remediis prospiciemus.

(3) *Sess. XXIV. de Refor. Matrim. Cap. IX.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

V I I I.

Admoneantur prætera conjuges (5), ut antequam contrahant sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimam Eucharistiam pie accedant, et doceantur quomodo in Matrimonio recte, et christiane conversari debeant, præsertim ex divina Scriptura, et maxime exemplo Tobiæ, et Saræ, verbisque Archangeli Raphaelis eos edocentis, quam sancte conjuges debeant convivere.

(5) *Ex Syn. Trid. Sess. cit. Cap. I. Rit. Rom. et Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

IX.

Expletis denunciationibus, nulloque detecto impedimento, non statim (1), nisi angustiis temporis prematur sive instante Adventus tempore, sive Quadragesimæ, ad Matrimonii celebrationem Parochus procedere debet, sed duobus, vel tribus diebus elapsis, ut cuique liceat de impedimentis cogitare, eaque aperire. Quod si Parochus a temporis brevitate, aliave de causa urgeri se videat, in secunda denunciatione populum de hoc admoneat, nuncietque statim post tertiam denunciationem Matrimonium esse in facie Ecclesiæ celebrandum. Assistet autem ipse, vel alius ab eo delegatus sacerdos, duobus vel tribus testibus præsentibus, et quidem in Ecclesia (2), non in Oratorio privato, et cetera omnia præstet, quæ in Rituali romano præscribuntur. Licet autem proprius Parochus (3), qui adesse debet, sit is, in cujus Parochia Matrimonium celebratur, sive viri, sive mulieris; tamen in hac Diœcesi receptum consuetudine est, ut semper Parochus sponsæ præeligatur, et habeatur ratio domicilii paterni, materni, et fraterni ex Benedicto XIV. (4), quam consuetudinem retinendam esse mandamus: id unum admonentes, ut in peculiaribus casibus Nobis consulendum sit, ut decernamus, num propius ad Juris communis regulas domicilium illius, apud quem puella alitur et degit, sit ceteris præferendum. At certe materni domicilii nulla ratio habenda est, si mater ad secundas nuptias transierit. Ex duobus, vel pluribus fraternis domiciliis illud est præferendum, quod puella sibi ad habitandum elegerit. Mulieris viduæ ad secundas nuptias transituræ Parochus is est, in cujus Parochia degit. Filiæ exteræ, quæ in Civitate, aut Diœcesi domicilium non habent, et nostrates, quæ patre orbatæ etiam materno, et fraterno domicilio carent, ad eam Parochiam pertinent, in qua commorantur. De Virginum Matrimoniis, quæ in septis Monaste-

(1) *Gabr. Palaeottus Archiepiscop. Bon. P. III. de Sacram. Matrim.*

(2) *Rit. Rom. de Sacr. Matrim.*

(3) *Synod. Trid. Sess. XXIV. Cap. I. de Reform. Matrim.*

(4) *Notif. XIII. Vol. II., et XXI. Vol. IV.*

naste-

nasteriorum educantur, nulla erit controversia (1), si observetur decretum sacræ Congregationis causis Episcoporum, et Regularium præpositæ, et Jacobo Card. Boncompagno Prædecessori nostro transmissum, quo jubetur, ut virgines omnes, quæ futuras nuptias data fide promiserint, ex Monasteriis etiam Nobis minime subjectis abeant, et ad Parentum domos revertantur: quod ut fiat, omni studio curabimus. Puellæ spuriæ (2), quæ in hospitio expositorum aluntur, subjiciuntur Parocho, in cujus ditione hospitium situm est. Idemque statuitur de puellis, quæ in piis Contuberniis tamquam Filiæ aluntur, dotemque accipiunt, juxta veterem consuetudinem. Quæ carceri mancipata est, si ad correctionem, vel custodiam detineatur, donec ejus causa judicis sententia cognoscatur, ejus Parochus is judicandus est, ubi domicilium paternum habet, vel aliud ex memoratis. Si vero in pœnam sive perpetuo, sive ad determinatum tempus conjecta, et damnata sit, ejus Parochus is erit, in cujus Parochia carceres collocantur; *relegatus enim in loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet* (3). In Xenodochiis aliquando matrimonia ineunda sunt ab iis, qui in gravi vitæ periculo versantur, ut æternæ saluti prospiciant. Quisnam vero eligi debeat, quo præsente ejusmodi matrimonia contrahantur, inter Capellanos et Parochos, in quorum ditione sita sunt Xenodochia, magno studio contenditur. Itaque præcipimus (4), ut quoties hæc eveniant, statim Nos de more certiores faciant, ut statuamus, qui matrimonio celebrando intersit, ac diligenter caveamus, ut necessarium hujus rei monumentum in actis descriptum conservetur.

X.

Caveant Parochi, ne vagos, et peregrinos, et qui incertas habent sedes (5), ad Matrimonium admittant, aut illos quoque, qui sex mensibus ab hac Diœcesi nostra abfuerint, nisi a Nobis obtenta de scripto faculta-

T 2 te. Il-

(1) *Idem Benedict. cit. Notif. XIII.*

(2) *Idem Bened. loc. cit.*

(3) *l. Filii ff ad municipal.*

(4) *Idem l. c. cit.*

(5) *Trid. Sess. cit. Cap. VII. et Synodi nost. ibi.*

te. Illos etiam a contrahendo rejiciant, qui antea conjugati fuerunt, nisi de morte conjugis ex testimonio scripto, et sigillo munito alterius Parochi, in cujus ditione decesserit, omnino constet. Si vero extra Diœcesim obierit, ad Nos afferenda erit testificatio, et approbanda (1). Neque enim diuturna conjugis absentia, nec pervagatus de morte rumor satis est, ut novum conjugium iniri tuto possit.

(1) *Amb. Synod. Nost. laud. ibi.*

X I.

Dum nuptias contrahentium confessiones excipiunt Parochi, Subsidiarii, vel Œconomi, facultatem iisdem impertimur, ut eosdem ab omnibus a Nobis reservatis absolvere possint, et etiam ab excommunicatione, in quam forte iidem contrahentes ob copulam, post datum coram Parocho consensum, habitam incidissent. Moneant tamen conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium consument (2), nec etiam simul maneant, nisi aliquibus propinquis, vel aliis præsentibus. Quæ benedictio a nullo alio, quam ab ipso Parocho, seu ab alio Sacerdote de ipsius Parochi licentia fieri debet. Quare si tempore vetito, impetrata a Nobis facultate, alicui Matrimonio intersit Parochus, hortetur conjuges, ne illud consument, nisi prius accepta benedictione. Benedictio autem iis impertiri non debet, qui eam alias acceperunt. Ad summum Mulier, si numquam alteri nupsit, benedici poterit; viduæ tamen nuptiæ numquam benedicantur, etiamsi ejus vir numquam uxorem duxerit.

(2) *Ritual. Rom.*

X I I.

Optime quidem habet, ut in Missa contrahentes sanctissimo Eucharistiæ Sacramento se roborent. In Missa vero celebranda servandum decretum est sacræ Rituum Congregationis recens emissum (3), et approbatum a sanctissimo Domino nostro Papa Pio VI. Diebus

(3) *Die 7. Jan. 1784. vid. in Append. Num. X.*

bus ergo Dominicis, ac diebus festis de præcepto sub ritu primæ, vel secundæ Classis dicenda est Missa de tali die festo cum commemoratione in Missa pro sponso, et sponsa; aliis diebus Missa pro sponso, et sponsa dici debet.

XIII.

Habeant Parochi librum (1), in quo conjugum, et testium nomina et cognomina, diemque, et locum contracti Matrimonii describant, quem diligenter apud se custodiant; adjectis etiam diebus, quibus denunciationes sint factæ: vel, si aliqua sit prætermissa ex facultate nostra, idipsum notatum, et testatum sit, signatis per caracteres, non per numeros die, mense, et anno. Si quis in hoc scripturæ genere conficiendo, negligenter se habuerit, animadversione nostra punietur.

(1) *Synod. nost. laud. ibid.*

XIV.

Si vero conjuges, celebrato in facie Ecclesiæ Matrimonio, et jam elapso bimestri, ad cohabitandum minime accesserint, monitique sine justa causa repugnaverint, pœnis canonicis obstringentur: nec interim, Nobis inconsultis, Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramenta illis ministrentur (2). At contingit aliquando, ut initis nuptiis detegatur, et evulgetur impedimentum dirimens. Tunc conjuges Parochi providentia separentur, donec obtenta dispensatione conjungi iterum possint.

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

XV.

Eo procedit interdum quorumdam audacia, et impudentia, ut non peractis proclamationibus, fraude composita, circumveniant Parochum, aut etiam, vi illata, cogant interesse matrimonio. Hoc execratissimum scelus, et omni pœna dignissimum excommunicatione ipso facto incurrenda (3), et Nobis reservata, et carcere insuper, et aliis arbitrariis pœnis multatum volumus. Qui vero consilium, et favorem contulerint, pœnis corporalibus plectentur. At ii, qui tam nefaria ratio-

(3) *Edict. Jacob. Boncomp. ann. 1701. Ben. XIV. 1732. Vinc. Malvetii 1765. et nostr. 1782.*

ratione sibi cohæserunt, separari ab invicem debent, donec Deo, et Ecclesiæ salutari pœnitentia ad arbitrium nostrum coercitl satisfecerint. Parochus autem, si hisce fraudibus conniveat, aut interesse præsumpserit, suspendendus erit ab officio suo ad triennium ex veterum Canonum dispositione, nec alias effugiet pœnas pro criminis gravitate.

X V I.

Quum inter Matrimonii bona illud prolis recenseatur, liberi ex justa, et legitima uxore suscepti, tamquam flores matrimonii habendi sunt. Id tanti fecit Apostolus, ut diceret (1): *salvabitur mulier per filiorum generationem*. Nec vero hoc de procreatione solum, sed de educatione etiam, et disciplina, qua filii ad pietatem instituuntur, intelligendum est: sic enim statim subdit Apostolus: *si in fide permanserit*. Monet etiam Scriptura (2): *filii tibi sunt? Erudi illos, et curva illos a pueritia illorum*. Et idem Apostolus ait (3): *patres educate filios vestros in disciplina, et correptione Domini*. A quo pietatis officio longissime aberrant ii parentes, qui de instituendis in timore Domini filiis parum, vel nihil cogitant: de rebus divinis ignari, ignaros relinquunt: pravis exemplis, verbisque nefariis eos corrumpunt: numquam corrigunt, nisi iracundiæ æstu stimulante, imprecationum, et maledictionum virus teterrimum ejaculantes. Nihil eos sollicitos habet, quos mores imbibant, et quibuscum versentur: fratres, et sorores nulla adhibita curatione simul esse, immo et simul cubare patiuntur: nec exhorrescunt, filios, et filias adultæ etiam ætatis secum communem thalamum habere: nihil demum non faciunt, ut indulgendo, turpissimis imbuantur cupiditatibus, sibique moribus similes, vel etiam deteriores evadant. Profecto nihil est, in quo frequentius animarum magistri, et pastores in sacris sermonibus, et exhortationibus habendis versari debeant, quam inculcando parentibus gravissimum

(1) I. Ad Timoth. I. v. 15.

(2) Ecclesiast. VII.

(3) Ad Ephes. VI. 4.

munus

munus de Christiana disciplina liberis tradenda.

XVII.

Sed et in illud sedulo incumbant Pastores, ne viri perditissimi uxorum, et filiarum pudicitiam quæstui exponant, venalemque habeant. Quod nefandum crimen, cœsareis etiam legibus profligatum, Nos certiores facti gravissime puniemus. Si vero peregrini, et longinqui homines, vagique, mares, et fœminæ in alicujus Parochiæ domo hospitaturi sint, et tamquam conjuges se habeant, explorent Parochi, an de vero conjugio constet, ne sub honestatis colore labes turpitudinis delitescat. Si id certo attingere non possint, Nobis indicent, qui opportunis documentis adhibitis, in rem tantam inquiremus.

XVIII.

Illud requirit Matrimonii fides, ut vir, et uxor singulari quodam, sanctoque, et puro amore conjuncti sint, non turpi quadam illecebra capti, sed ut Christus dilexit Ecclesiam. Hanc enim regulam Apostolus præscripsit, cum ait (1): *viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam*. Ut ergo Christus immensa sua charitate in sponsæ suæ commodum labores, et sanguinem, vitamque profudit; ita par est, et viros honestis occupationibus distentos sponsæ, totique familiæ ea suppeditare, quæ sint ad vitam, et commodum necessaria. Sunt enim quidam tam immanes, et feri, qui vel inerti otio languentes nihil uxori, et liberis procurant, unde ali possint, vel, si quid laborando lucrentur, id totum in ganeis, popinisque consumant, fame, inediaque confectis uxore, et liberis: evenitque aliquando, ut uxor omni subsidio destituta, desperatione instigante, in meretriciam fœditatem præceps feratur. Qui quidem viri, ne dum christiano nomine indigni sunt, sed nec homines reputandi, quinimmo et sævis belluis, et serpentibus deteriores. Nam *serpentes amant filios suos, leones, et lupi amant*

(1) *Ad Ephes. 5. 25.*

amant filios suos . . . . . si non amaveris, a serpentibus vinceris, ait divus Augustinus, vel alius Auctor inter ejus opera (1).

(1) *Serm. 385. Edit. Maur.*

X I X.

Ex hac sincera in uxorem dilectione efflorescit illa communitas, societasque vitæ, mirabilisque consensio, qua colligari inter se conjuges debent, ut idem sapiant, in idem conspirent, idem velint: *nam qui diligit uxorem, etsi non admodum morigeram*, ait divus Joannes Chrysostomus (2), *omnia tamen sustinebit: adeo res est difficilis, et ardua concordia, quando non fuerint vi dilectionis colligati*. Et idem sanctus Doctor, quanta sint hujus pacis bona, docet (3): *quoniam si hi sint in concordia, et recte aluntur filii, recte ordinati sunt famuli, et bono eorum odore fruuntur vicini, amicique, et cognati. Sin autem contra, evertuntur, et confunduntur omnia*. Nihil est, quod majori afficiat scandalo filios, et domesticos, quam si virum, et uxorem jurgia, et dissensiones discerpant.

(2) *Homil. XX. in Epist. ad Ephes.*

(3) *Ibid.*

X X.

Accidit aliquando, ut Matrimonium per procuratorem inter absentes ineatur. Nullus tamen Parochus hisce matrimoniis assistat, nisi procurationis mandatum in Curia nostra admissum fuerit, ipsique Parocho de scripto commissa non fuerit illius celebratio. Quo in casu judicant Theologi, tamquam rem salutarem, et ad firmandam fidem accommodatam, ut, quod absentes per alium perfecerint, id ipsi conjuges coram Ecclesia se ratum habere profiteantur.

X X I.

Etsi vero matrimonia publice, et solemniter contrahi justissimis de causis jusserit Ecclesia; tamen ob multiplices circumstantias, quæ adveniunt, et ad humanæ fragilitatis præcavenda pericula, indulget aliquando, ut secreto celebrentur, atque hæc *conscientiæ matrimonia* appellari consueverunt. In his tamen, ne matrimonii ho-

nii honestas labefiat, et ut proli prospiciatur, nihilque discordet ab Ecclesiæ instituto, servanda illa sunt, quæ gloriosæ recordationis Benedictus XIV. peculiari Constitutione præscripsit (1).

(1) Satis vobis 1741.

X X I I.

Postremo collacrymare præstat præsentis temporis calamitatem, et nequitiam, quam aliquid dicere. Quis enim a lacrymis temperare valeat, dum videat, hisce temporibus matrimonii religionem, honestatem, sanctitatemque tam sordidatam, abjectam, atque contemptam? Initis nuptiis, alter sæpe a conjuge diversus arcessitur, quasi nuptiarum socius, et individuus sponsæ comes, et assecla. Hic ad intima officia admissus a latere sponsæ numquam discedit: mensæ assidet, prosequitur in via, in deambulatione: secum sedet in rheda: domi, foris, ubique eam comitatur vel ipsum Dei templum adeuntem. Quæ inde ultro, citroque pericula? Quæ excitantur incendia libidinum? Quæ adulterinæ cupiditates? Quæ scandala conflantur? Refrigescit hinc sponsæ in conjugem dilectio: novus amor paullatim totum pectus invadit, deletque ex animo conjugem. Hinc odia, et rixæ exurgunt: hinc thori violata fides, et omnis conquassata honestatis lex, et ad omnem licentiam patefacta via, atque ad æternam perditionem paratum iter. Utinam hæc non ita se haberent, essentque exaggerantis, non vera dicentis verba! In hac tamen tanta seculi corruptela illud Nos consolatur, plures illustres Conjuges alienas ab honestate conjugii consuetudines defugere, simul foras prodire, et palam testari, se Dei nomine conjunctos fuisse, et vivere. Faxit Deus, ut his tam præclaris exemplis alii excitentur, et matrimonia ad sanctitatis, et honestatis leges redigantur!

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

De Vita, et Honestate Clericorum.

I.

NEC gravius, nec sapientius, nec nervosius dici potest, quam vitæ rationem tenere debeant, qui clericali militiæ adscripti fuerunt, quam quod Tridentina Synodus (1) breviter, et distincte complexa est; ait enim: *sic decet omnino Clericos, in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præseferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Utinam hæc tam præclara verba animo uniuscujusque ita insculpta essent, ut ab eo numquam dilaberentur, perpetuoque menti succurrerent, essentque ad honeste, sancteque vivendum incitamento, et regula! Neque enim, quæ ad morum correctionem pertinent, et ad clericalis Ordinis honestatem conducunt, possunt vel appellatione intercipi, vel desuetudine obsolescere, sed perpetua firmitate, inviolataque observantia convalescere debent. Itaque quæ de vita, et honestate Clericorum a summis Pontificibus, et a Conciliis, Synodisque nostris jam sancita fuerunt, ea ipsa sunt,

(1) Sess. XXII. Cap. I. de Refor.

sunt, quæ hic proponimus. Non nova edicimus, sed antiqua, et jamdiu constituta ad memoriam revocamus.

II.

Et primo meminisse Clericus debet, se a reliqua mundi turba sejunxisse, ut excellentem quamdam vitæ rationem capesseret, quæ nullum haberet cum mundo commercium: ad se proinde omnium oculos conversos habere, tamquam scrupulosos testes, et judices severos cujuscumque dicti, vel facti; et eos Clericos suspicere, maximisque laudibus efferre, in quibus existimant, se quamdam singularem virtutem perspicere; contemnere autem eos, in quibus communia seculi vitia deprehendant, et in quibus nihil virtutis, nihil præclare, sancteque gestum admirentur. Ne igitur se, totumque Clericatus Ordinem contemptui, probrisque objiciant, necesse est in hoc eos laborare, et niti, ut se tales præstent, quales esse decreverunt, et quales vel ab ipsis seculi amatoribus requiruntur. Sunt enim Clerici in sortem Domini adsciti, ut ipsum vocabulum exprimit, et *propterea vocantur Clerici*, ait divus Hieronymus (1), *vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est. Qui autem vel ipsa pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut et ipse possideat Dominum, et possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, et cum Propheta dicit* (2): *pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus*. De qua re quædam diximus, quum de Ordine ageremus, nonnulla hic alia percensebimus ad vitam, honestatemque Clericorum necessaria, et alia facienda, alia declinanda docebimus.

III.

Igitur nemo habitum clericalem assumet (3), qui prius a Nobis, vel a Vicario nostro facultatem de scri-

(1) *Epist. LII. ad Nepot. §. 5 Edit. Vallars.*

(2) *Psalm. XV.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. I.*

pto gratis concedendam non obtinuerit, et primarum vestium benedictionem a Delegatis nostris collatam non fuerit assecutus. De Altari autem eas de Sacerdotis alicujus manu suscipiet. Sumpto habitu non statim ad tonsuram procedet, nisi justis de causis, Nobis permittentibus; sed sacræ militiæ quasi tyrocinium ponet, probabitque se idoneum futurum Ecclesiæ ministrum. Tonsura vero initiati in habitu, et tonsura debent incedere, multoque magis qui ad Ordines sacros, et ad Sacerdotium ascenderunt. Hisce omnibus operam, studiumque comæ nutriendæ dare non licet (1), sed gerere in capite coronam debent, brevesque capillos. Discrimen enim inter coronam, et tonsuram intercedit, et utrasque Clericis gerendas Innocentius III. his verbis indicit (2): *coronam, et tonsuram habeant congruentem*. Fœda autem res esset, cum corona ad memoriam spineæ coronæ Domini invecta, unguentis madere caput, et crines habere calamistro conversos, et odoris pulveribus adspersos. Nullus etiam Clericus tonsura insignitus comam fictitiam deferre debet (3), nisi a Nobis, vel a Vicario nostro impetrata facultate, probataque de causa. Sed facta ejus rei facultate, patula corona appareat, nullumque vanitatis, et secularis levitatis sit vestigium, aliter concessam facultatem abrogabimus, aliasque pœnas inferemus.

(1) *Synod. Boncomp. ibi., et Bened. XIV. Notif. VIII. Vol. V. et Pastoralis nostr. Ann. 1779 in Append. N. V. Lib. II.*

(2) *Lib. III. Decretal. Tit. I. Cap. XV.*

(3) *Bened. XIV. loc. cit. et Jacob. Boncomp. ibi.*

I V.

Habitus porro ad omnem modestiam sit compositus. Ut sordidam incuriam odisse debent Clerici, quippe oportet, ut innuit Tridentina Synodus (4), *ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant*; ita fucatam levitatem defugere debent. Collaria (5) ex tela subtili cœrulei coloris juxta consuetudinem ferantur, eaque semper brevia ad modum circuli honeste, et apte reflexa. Neque a vestibus occultentur (6), sed pateant: nec umquam ejus loco fasciola, seu vitta nigri coloris adhibeatur. Pileus tegmen capi-

(4) *Sess. XIV. Cap. VI. de Reform.*

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(6) *Pastor. nostra cit. §. 3.*

capitis non in modum petasi luxuriantis sit, sed modestiæ aptatus. Color vestium omnium (1) sit omnino niger ubique, et semper, nisi forte quis aliquando rus petat, aut inde in urbem redeat, aut itineri se committat, non vero deambulationi. Quo tamen tempore, et in quibus circumstantiis caveat diligenter sibi Clerus noster ab eo colore, qui gravem virum dedeceat, aut a nigricante plane alienus, non statim per se indigitet virum Ecclesiæ, multo magis sibi caveat ab omni seculari ornatu. Quo simplicior erit habitus, eo dignior viro Ecclesiastico. Penulas apertas (2) superpositas interioribus nigris vestimentis in eum dumtaxat finem, ut facilius quisque a pluvia se, et a frigore tueatur, pluvio, et hyemali tempore non plane prohibemus, dummodo tamen non sint albicantis, flavi, aut rubri coloris, aut alterius elegantioris, et renidentis. Usitatus Clericorum habitus sit oblongus, ad talos demissus, quem si numquam dimitterent, multo majorem gravitatem præseferrent, magnamque ingenerarent aspicientibus sui reverentiam; volumus tamen, ut habitum oblongum deferant, quum ad Ecclesiam conveniunt, sive celebraturi, sive alia sacra Ministeria facturi, et maxime Sacerdotes quotidie saltem usque ad meridiem, sive ad finem divinorum officiorum, non solum in Civitate Bononiæ, et Centi; sed etiam in majoribus Oppidis, ut præscripsit Benedictus XIV. (3). Calcei quoque a seculi levitate abhorreant. Fibulas ferre prohibet Innocentius III. (4); sed quia consuetudo amenta, seu lora depulit, et fibulas induxit ad soleas restringendas, hæ neque latiores sint, neque pretiosiores. Annulos quoque digitis inserere licet (5) iis solum, qui Doctoris laurea sunt decorati. Nisi hæc omnia observentur, ad infligendas pœnas deveniemus: recordentur enim Clerici omnes, quod Tridentina Synodus Episcopis præscribit, et mandat, dicens (6): *si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti*

(1) *Pastor. nost. cit. §. 1. et Bened. XIV. Notif. IV. Vol. IV.*

(2) *Eadem Pastoral. nost. §. 3.*

(3) *Notif. IV. Vol. IV.*

(4) *Decret. loc. cit.*

(5) *Synod. Colum. P. III. Cap. III.*

(6) *Sess. XIV. Cap. II. de Reform.*

moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini, et dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem, et mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus, reditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum hujusmodi coerceri possint, et debeant, constitutionem Clementis V. (1) *in Concilio Viennensi editam, quæ incipit:* Quoniam, *innovando, et ampliando.* Qui Clerici vestium nitore, et luxu sibi laicorum existimationem conciliare putant, hi vehementer errant: deridentur immo, et ignominia notantur, tamquam susceptæ militiæ desertores, pedes in diversis ponentes (2), unum in Divinis, alterum in carnalibus, et quo in majori luce versantur, eo minoris habentur. Absit perpetuo a Clericis nostris tantæ turpitudinis dedecus.

(1) *De Vit. et Honest. Cler.*

(2) *Synod. Trident. ibid.*

V.

Equidem honestandus Clericorum status est, non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis, ait divus Bernardus (3), qui et subdit: *quam multi aliter! Cernitur in nonnullis Sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum autem nullus, aut exiguus.* Itaque virtutum omnium amore inflammatos nostros Clericos volumus, ut asceticos libros scrutentur, ebibantque ex eis scientiam Sanctorum, et perfectionis spiritum, ut in sanctæ mortificationis studio versentur: ut iracundiæ perturbationem cohibentes, mansuetos se semper, placidos, et tranquillos exhibeant, quippe, ut ait Apostolus, (4): *servum Domini oportet mansuetum esse ad omnes*: ut in omni vitæ consuetudine humilitas eluceat; humilitas quippe cor Christi est, cui Clericus debet assimilari. Sed quasi compendiaria ad virtutes adipiscendas via est mentalis precationis exercitatio. Ipsa est, quæ faces admovet spiritui, vitia extinguit,

(3) *Lib. de Offic. Episcop. Cap. II.*

(4) *II. ad Timoth. II. 24.*

guit, fervorem accendit, virtutes inserit, alit, auget, et confirmat. Addiscant igitur Clerici nostri singulis diebus tali se præsidio munire, si ad virtutes contendere volunt, aliter spiritus defervescet, virtutesque languore victæ deficient. Nam hujus precationis studium adeo ecclesiasticis viris est necessarium, ut fidenter diceret magnum illud Hispaniarum lumen venerab. Joannes Abulensis (1), nemini in semitam Sacerdotii ingrediendum esse, quem non mentalis precationis ardor incenderet. Et præstantissima illa perfectionis christianæ magistra diva Theresia celeberrimum quemdam ecclesiasticum admonuit (2), ut in hoc genus precationis incumberet, secus nec solidæ virtutis fundamenta jacere posse, nec muneri suo facere satis.

(1) *Ex ejus vita.*

(2) *Epist: VIII. Part. I.*

V I.

Et quoniam omnia persequimur, quæ Clericos nostros in viam sanctitatis adducant, hortamur omnes quammaxime Sacerdotes, Confessarios, Parochos Civitatis, et Diœcesis, Beneficiatos, Canonicos quoscumque, ut, abjectis ceteris occupationibus, in hac una per dies decem singulis annis detineantur, ut spiritus profectui prospiciant, sacrisque se exercitationibus expoliant. Quum enim per easdem in sacram militiam ingressi sint, sicut faciendum præscripsimus, quum de Ordine ageremus, par est ab iisdem roborari ipsam, et perfici. Ut ut enim religiose, sancteque vivant; facile tamen est, tot tentationibus circumsessos, tot occupationum diverticulis exturbatos, aliquas de humano pulvere sordes contrahere, quæ nisi diligenter abstergantur, hærebunt animo perpetuo, totumque mentis vigorem labefactabunt. Reddant ergo singulis annis seipsos sibi, diligentique examine de se ipsis rationes subducant: *conferenda posteriora prioribus*, ait divus Bernardus (3), *profeceris ne in virtute, in sapientia, in intellectu, in suavitate morum: an ab his forte, quod absit, defeceris? ... quam latus tibi patet campus in hoc*

(3) *Lib. II. de Considerat. Cap. II.*

hoc genere considerandi! Certe Clemens XI. (1) id vehementer omnibus ecclesiasticis commendat, non solum indulgentias impertiendo; sed et Canonicis in eo seccessu degentibus concedendo, ut æque distributiones lucrentur, ac si Choro, divinisque Officiis interessent. Quod si aliqua de causa in certum locum se recipere nequeant quietis causa, saltem ne prætermittant ad Metropolitanam nostram accedere, quum sacrarum exercitationum cursus pro ecclesiasticis viris habetur.

(1) Encycl. Sacr. Congreg. Conc. jussu ejus ad Episcop. data 1710.

V I I.

Sed tota quassata, et perdita Clericorum honestas concidet, nisi in castitate tuenda diligentissimi sint, sine qua nihil boni potest consistere. Leges Ecclesiæ cum veteres, tum recentes semper una, atque eadem voce loquuntur, Clericos ea castitatis laude florere debere, ut Angelorum puritatem æmulentur. Divus Hieronymus testatur (2), ob hanc etiam causam Dei filium de Cœlo venisse, ut novos Angelos sibi procrearet: *novam sibi*, ait, *familiam instituit*, *ut qui ab Angelis adorabatur in Cœlo*, *haberet Angelos et in terris*. Quare aditus omnes præcludere debent, quibus ad hujus virtutis candorem vel leviter maculandum Dæmonum malitia ingredi possit. Corda, oculos, aures, oraque ita ab eis custodienda erunt, ut neque hæc labem aliquam contrahant, neque majori periculo occasionem præbere possint. Magnis inimicorum agminibus, ut ait idem sanctus Doctor (3), circumdamur, et caro fragilis sola pugnat cum pluribus: et quamdiu (4) in hoc fragili corpore detinemur, et habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, nulla est certa victoria. Meminerint, viros etiam sanctos tentatione concussos de sanctitatis fastigio in profundum malorum cecidisse præcipites: *ne in præterita castitate confidas*, monet idem sanctus Doctor (5), *nec Davide sanctior*, *nec Salomone potes esse sapientior*. *Memento semper*, *quod Paradisi colonum de possessione mulier ejecerit*.

(2) Epist. XXII. §. XXI. Edit. Vallars.

(3) Loc. cit. §. 3.

(4) Ibid. §. 4.

(5) Epist. LII. ad Nepotian. §. 5.

VIII.

VIII.

Equidem nisi multæ cautiones adhibeantur, et pericula devitentur, in apertum discrimen conjicietur honestas. A colloquiis fœminarum, quantum possunt, se contineant, earumque contubernia vitent: solus cum sola id Nepotiano consilii dabat divus Hieronymus (1), *secreto, et absque arbitro, vel teste non sedeas*. Fœminarum consuetudine delectari vix stare cum castitate potest: *cum fœmina semper esse, et fœminam non cognoscere, hoc ego majus esse puto, quam mortuos suscitare*, ait divus Bernardus (2). Earum tantum fœminarum contubernium permittimus, quarum nulla suspiciosa labes esse possit: et qui jure suo utuntur, non advocent in domos suas, nisi fœminas primo, et secundo consanguinitatis gradu, et primo affinitatis sibi conjunctas (3). De ceteris nostrum erit definire, an sine offensione detinere eas in suis ædibus possint. Prohibemus ergo, ne qualescumque mulieres in domesticam servitutem admittant, dicente eodem divo Hieronymo (4): *periculose tibi minisrat, cujus vultum frequenter attendis*; sed honestate probatas (5), integraque fama, et annis quadraginta majores, et a Nobis facultate de scripto impetrata, et singulis annis confirmata. Nullo vero modo domos adeant fœminarum (6), quæ mala suspicione laborent; neque hisce ædes suas locent: sicut nec ad publicos ludos, ad comœdias, ad choreas habendas locari volumus. Curent etiam (7), ut domos conducant a famosis fœminis dissitas, ne sibi periculo sint, et in incommodas suspiciones incidant. Nisi hisce præscriptis paruerint, a pœnis irrogandis non temperabimus. Et, ne infestum quidquam pudicitiæ contingat, sine facultate a Nobis obtenta nolumus (8) Clericos, aut Sacerdotes ullos provinciam sumere, fœminam aliquam, etsi pauperem, ne sub charitatis quidem specie, in canendo, vel scribendo, vel in alia facultate instituendi.

(1) *Ibid.*

(2) *Serm. LXIV. in Cantica.*

(3) *Synod. Hieron. Columna. ibi.*

(4) *Ibid.*

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(6) *Synod. ead. ibi.*

(7) *Synod. ead. ibi.*

(8) *Synod. Hieron. Columna. ibi.*

X IX.

I X.

Sed cavenda Clericis, fugiendaque sunt alia multa ipsorum honestati, et decori inimica. Dedecet enim Clericos tabernas, præterquam in itinere adire (1), per plateas obambulare, comissationibus, aleis, taxillorum ludis operam dare, ad loca publica otiose considere: publicis spectaculis adesse: ad loca accedere, in quibus sontes puniuntur, vel ultimo supplicio damnantur: joculatoribus, mimis, circulatoribus intendere; multoque magis saltationes cum fœminis agere; ad profanos personatorum hominum cœtus convenire; noctu per urbem ad solatium vagari, clericali præsertim habitu deposito, quod crimen multo gravius dignoscitur, si id fieret, mulieres assectando, et complicatis brachiis deducendo (2). Nec minor culpa est larvatos incedere, et cum percussoribus, blasphemis, maledicis, comissatoribus societatem inire. Hæc enim ad contaminatos seculi greges, non ad gentem sanctam, non ad electam Christi portionem pertinere possunt: atque in his delinquentes carcere, multis pecuniariis, aliisque pro criminis gravitate pœnis puniemus. Nam si Sacerdotes (3), aut choreas duxerint cum fœminis, vel instrumenta musica in iisdem pulsaverint, illico suspensionis pœna, aliisque Nobis arbitrariis periculos volumus. Clericos vero in has turpitudines prolapsos, ultra consuetum Interstitiorum tempus, saltem per annum remorabimur a reliquis Ordinibus suscipiendis, nisi forte pensatis circumstantiis gravior sit pœna adjungenda.

(1) *Amba laud. nost. Synod. ibi.*

(2) *Pastoralis nostr. 1779. §. 4.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. et Hieron. Columnæ. ibi.*

X.

Clamosas venationes, quæ magno apparatu fiunt, canonicæ sanctiones Clericis prohibent, et ab iis non abstinentes a pœnis non elabentur. Quod si ad aliquod animi levamentum (4) a Nobis, vel Vicario nostro de scripto venandi facultas concedatur, ea ne utantur diebus festis, nec cum alicujus damno, et offensione, nec

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

ne, nec abjecta clericalis Ordinis gravitate, nec indecoro habitu, nec etiam cum venatoriis armis per loca frequentia discurrentes. Nulla enim actio Clerici esse debet, quæ non sit cum decoro conjuncta.

X I.

Medicinam quoque, et Chirurgiam exercere (1) Clericos leges Ecclesiæ non sinunt, atque adeo nec charitatis prætextu in hæc munera se debent injicere, non obtenta a sacra Congregatione facultate.

(1) Ambr. Synod. nost. Land. ibi.

X I I.

Arma porro nostræ militiæ, ait Apostolus (2), non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum. Gloriari Clericus non ferro debet, sed precationibus, et lacrymis, consiliis bonis dandis, doctrinis, virtutibus, sanctisque exemplis. Usum ergo armorum omnino vetitum volumus (3) sub pœnis pecuniariis, et arbitrariis pro modo culpæ, et armorum qualitate. Neque enim par est, hac in re indulgentiorem esse Ecclesiam cum Clericis, quam sint leges civiles cum laicis.

(2) II. Cor. X. v. 4.

(3) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

X I I I.

Erit autem ipso facto suspensione illigatus Sacerdos (4), qui absque facultate nostra in Foro laicali examen subierit, vel testis ibidem fuerit in quavis causa, et præsertim criminali: Clericus vero interclusum perpetuo aditum inveniet ad alios ordines suscipiendos. Noverint autem Clerici omnes id esse Curiæ nostræ privilegium a Gregorio XV. collatum, de quo etiam Prædecessores nostri (5), ut jure communi circumscripto, actor Ecclesiasticus non sequatur Forum rei. Idcirco tam Clericis, quam Regularibus, omnibusque locis piis quascumque causas licet in Foro nostro agere contra laicos. Et ob hanc etiam causam excommunicationem ipso facto incurrunt (6), qui alios revera impediunt, aut impedire contendunt, ne idem nostrum Forum adeant, vel de eo per ludibrium, jocumque verba faciunt.

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(5) Jacob. Boncomp. Decr. 1090. et Bened. XIV. Notif. XX. Vol. II.

(6) Cap. Quoniam de Immun. Eccles. in 6. Vid. cit. Notif.

X I V.

Sed cogendæ pecuniæ cupiditas omne ingenium ponit ad quæstus consectandos, nec raro etiam in animos Clericorum invadit, qui lucri causa vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur. Quod Clericorum genus vehementer execratur divus Hieronymus dicens (1): *negotiatorem Clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge*. Itaque ecclesiasticæ leges omne negotiationis genus a Clericis explodunt, gravissimis etiam definitis pœnis. Et Benedictus XIV. (2) latas jam hac de re leges, pœnasque confirmans, quamlibet negotiationem etiam sub alieno nomine, et per alios factam, etsi ab laicis prius inchoatam, et hæreditario jure, vel alio titulo delatam, constitutione sua proscriptam voluit. Nos proinde a quibuscumque Clericis in quovis mercaturæ genere occupatis, distractisque pœnas a summis Pontificibus irrogatas exigere non negligemus. Hinc et omnia cambia, quæ dicuntur, activa, et passiva interdicta sint. Vetamus etiam (3), ne agrorum conductores se præbeant, vel societatem ineant cum aliis conductoribus, neque ut ullam partem talium negotiorum attingant. Turpe autem est in nundinas sese immittere (4), mercatusque adire, in iisque tamquam seculi negotiatores versari. Turpius est autem (5), quæstus faciendi gratia, jura familiarum, litesque alienas coemere, et inter fori strepitus Tribunalia fatigare. Maxime etiam dedecet magnatum servitio mancipari, familiarum negotia ut œconomos gerere, multoque magis indecorum est mercedula adductos vilissima quæque obire ministeria, quod vix infimi homines facerent. Porro quum hæc sint ad famam sordida, ad Clericorum mores periculosa, in hos tam indecora patrantes, districto pœnarum, ac etiam censurarum gladio, quemadmodum Nos graviter admonet fel. record. Clemens XIII. (6), animadvertemus, dilapsumque Clericatus honorem vindicabimus.

(1) *Loc cit. ad Nepotian.*

(2) Constit. Apostolicæ servitutis. 1741.

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Clem. XIII. Encycl.* Cum primum *an.* 1759.

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(6) *Laud. Encycl.*

XV.

X V.

Mandamus denique, ne sine nostro, vel Vicarii consensu tutelas, et curationes suscipiant (1), neque se fideijussores præstent sub pœnis arbitrio nostro infligendis, ne temere se committant negotiis, quæ divinis Officiis mancipatos in scopulos, laqueosque conjiciant.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

CAPUT II.

De Vicariis Foraneis.

I.

NObis non datur, ut in tanta rerum gerendarum multitudine, in tanta locorum longinquitate, in tanto Parochiarum numero studia nostra singulis Ecclesiæ temporibus transmittere possimus: nam si unus e servis, ait divus Bernardus (2), *per se non sufficit simul et custodiæ jumentorum, et curæ mensarum, tu per te quomodo intendere valeas, et tuæ domui, et Domini pariter? De qua scriptum est* (3): *o Israel, quam magna est domus Domini!* Necesse est igitur, adjutores aliquos huc, illucque per varia Diœcesis loca constituere, qui quasi speculatores a Nobis positi, oculos adjiciant ad illa omnia retinenda, quæ ad Ecclesiarum decus, et ad animarum salutem conducant; et parte nostræ auctoritatis adspersi, auctoritatem ipsam nostram tueantur: ut quibus rebus interesse non possumus, nec opera nostra prospicere, vicariam aliorum fidem, diligentiamque supponamus. Atque hi sunt, qui ex consuetudine Vicarii foranei appellantur. Quod munus, quum certis officiis, et locis addictum non sit, arbitrio nostro iis communicabitur, qui probati jam sint, non probandi, qui prudentiæ, et industriæ laude excellant, et morum integritate præluceant.

(2) *Lib IV. de Considerat. Cap. VI.*

(3) *Baruch. III. 24.*

II.

II.

Itaque qui hoc fungentur munere, eos optamus esse, quales describit divus Bernardus (1), et ejus generis esse curabimus, qui a Nobis deligentur. Ita ergo sanctus Abbas hosce administros, et adjutores effingit: *qui præter Deum tantum timeant nihil, nihil sperent, nisi a Deo: qui adventantium non manus attendant, sed necessitates: qui stent viriliter pro afflictis, et judicent in æquitate pro mansuetis terræ: qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subjecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad unitatem: qui sint in judicio recti, in consilio providi, in agendo strenui, in loquendo modesti.* Hi quidem litteras nostras obsignatas excipient, ex eisdemque intelligent, intra quos fines ipsorum auctoritas contineatur, quos tamen transilire non debent, nec impertitam facultatem ad gloriolæ illecebram usurpare; sed omni accurata ratione munus suum exequi, tamquam Christi legatione fungentes. Si quid gravius contingat, re bene cognita, perspectaque, Nos certiores faciant: minora tantum negotia deliberanda ipsis, definiendaque traduntur: majora Nobis reservamus.

III.

Quæ a Sede Apostolica, vel a Nobis emanabunt leges (2) evulgari facient, et executioni mandari. Videant etiam, an jam latæ vel ab Apostolica Sede, vel a Nobis statis temporibus perlegantur in Ecclesiis. Vigilent quammaxime (3), ut Synodalia Decreta perfecte custodiantur, et ut omnia in menstruis Parochorum comitiis perlegantur, ne ipsorum notitia decursu temporis intereat. Quæ quidem menstrua comitia, nisi ad rationem alio in loco præscriptam peragantur, id Nobis singulis annis significabunt, ut opportunis pœnis desides corripiamus.

(1) *Ibid. Cap. IV.*

(2) *Synod. Jacob Boncomp. Lib. III. Cap. II. et Hieronym. Colum P III. Cap. I.*

(3) *Ambr laud. Syn. nost. ibi.*

IV.

I V.

Inquirant, dissimulanter quidem, in omnem administrandi rationem (1) eorum Parochorum, qui sibi commissi sunt: an resideant in Canonica, an honeste, sancteque vivant, an Ecclesiæ nitorem, munditiamque procurent, an ecclesiasticas functiones rite, religioseque perficiant: an Sacramentis administrandis præsto sint, præsertim infirmis, et in exitu vitæ laborantibus; et an Sacramentis iis administratis ad pie, sancteque moriendum opem ferant: an Dei verbum diebus festis administrent, et christianam Doctrinam omni sedulitate tradant: an denique illa omnia observent, quæ in hisce Decretis multis in locis facienda Parochis indiximus. Si quid minus rectum extiterit, secreto moneant peccantem, ut emendetur; si vero perseveret, et nulla sit spes emendationis, Nobis deferant. Sicut misericordiam, clementiam, et mansuetudinem amare, et sequi debent; ita caveant, ne in nimiam incidant facilitatem, et indulgentiam.

(1) *Ambr. laud. Syn. nost. ibi.*

V.

A Clericis, et Sacerdotibus in ipsorum ditione degentibus (2) oculos numquam avertant, et investigent, quo habitu incedant, quibus occupationibus distineantur, quam honesti, religiosique sint, præsertim in rebus sacris obeundis. Delinquentes reprimant, et ad officium redigant, contumaces Nobis obnuncient. Inquirant quoque quas fœminas (3) Parochi, et Clerici in suas domos asciscant, Nobisque accuratum ea de re testimonium exhibeant. Nec ullo modo sinant extraneum Sacerdotem (4) in ipsorum ditione irrepere, multoque minus sacrificare, qui litteris nostris munitus non sit. Nam, si quos habeant Clericos, illos bene odorentur, de verbis, deque factis quærant, quamque de se opinionem concitaverint; præcipimusque, ut simul cum Parochis sincera fide de eorum vitæ ratione testificationem præbeant, Deo rationem reddituri, si tecte, et simulate se gesserint.

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid. et Pastoral. nost. 1779. §. 5.*

VI.

V I.

Nec prætermittant exquirere a Parochis de laicorum vita, an sint qui blasphemiis, comissationibus, choreis impudicis, ludis vetitis, scandalisque aliis offensioni, et periculo sint: an Parochis negotium facessant, et eorum functiones perturbent: an conjuges simul cohabitent: an pravæ consuetudines bonis moribus exitiales invehantur: an dissidiis, et simultatibus familiæ discindantur: an malæ fœminæ pudicitiam corrumpant. Hæc, et alia mala germina revellere conentur, advocato etiam, si opus sit, nostræ auctoritatis robore.

V I I.

Atque hoc etiam institutum diligenter tenendum est ei, qui cum potestate præest, ne facta delatione aliqua, subito quasi torrens aggere fracto perrumpat, indictaque causa quemquam damnet; sed ut delatoribus ita unam aurem præbeat, ut semper alteram reo absenti reservet. Nihil est facilius ei, qui præest, præsertim si fervore quodam, et zelo ducatur, quam ut falsa aliquando delatione seductus, totus in increpatione effervescat, in qua tamen, re postea bene ponderata, et perspecta, se errasse cognoscat, seque correctione dignum inveniat, qui alios corrigere voluerit. Quo vitio pauci Præsules, teste divo Bernardo (1), immunes sunt. Itaque ab hoc scopulo caveant Vicarii nostri, et facta alicujus accusatione, delatorem ipsum crebris, et minutis interrogationibus veritatis eliciendæ causa excutiant: totam deinde rem, si opus est, per se, vel per idoneos viros omnibus vestigiis indagent leniter, ac sine tumultu, nihilque præjudicati ad causæ cognitionem afferant.

(1) *Lib. II. de Consid. Cap. XIV.*

V I I I.

Munus quoque horum Vicariorum est (2), causas Parochorum defendere, et cavere, ne jura parochialia lædantur. Omnia tamen ad summi juris apicem deducere odium parit. Discretio optima magistra est. Dierum

(2) *Synod. Jacob. Bontemp. ibi.*

rum etiam festorum observantiam ab operibus servilibus vindicare debent, ne temere, et non petita legitima facultate violentur. Curam gerent et de Sodalitatibus, ut statas leges custodiant, pace, et concordia colligentur, neque Parochis molestiam exhibeant, neque functionibus parochialibus detrimentum inferant. Electionibus Officialium cujuscumque Sodalitatis, Parocho deficiente, vel impedito, intersint, et quotannis eas ad rationes reddendas compellant. Eleemosynarum collectores abjiciant (1), nec eleemosynas corradere sinant, nisi legitima facultate sint muniti. Vigilent, num recte, et fideliter peracta fuerit bonorum, redituum, eleemosynarum, et obventionum administratio, et debita Missarum celebratio, et Legatorum satisfactio.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

I X.

Ad cognoscendas causas civiles intromittere se poterunt (2), dummodo libras vigintiquinque bononienses non excedant; in criminalibus vero informativos processus construent, sive clerici, sive laici delinquentes extiterint, examinatis testibus per Notarium, nec ultra procedere eis licebit; verum ad Nos, vel Vicarium nostrum statim, et caute, quæ in acta redegerint, emittent pro justitiæ complemento. Deprehensum in flagranti delicto, usque ad solutionem pœnæ pecuniariæ pro eodem impositæ, confestim cogere poterunt: executione facta pœnæ, tradant eamdem depositario, piis locis arbitrio nostro applicandam. Neminem carceri tradent; reos tamen de fuga suspectos, exigente facti necessitate, detinendos concedimus. In criminali autem processu consuetam normam sectentur.

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

X.

Eorumdem Vicariorum est, semel saltem in anno beneficiorum prædia, et ædificia invisere, sive ea simplicia sint, sive curata, et, si quid neglectum cognoverint, et reparatione, aut instauratione indigere, admone-

moneant negligentes muneris sui, tum etiam Nos certiores faciant. Namque hæc beneficiatorum incuria criminosa est apud Deum propter interpositum juramentum; est injuriosa Ecclesiæ, cujus bona labefactantur, et pereunt; noxia est Reipublicæ, quæ defraudatur fructibus territorii sui; est denique radix scandalorum, et litium, quum post obitum beneficiatorum, ex peritorum sententia hæredes ad refectionem damnorum obstringuntur. Propterea volumus (1), ut singulis annis ad hæc omnia invisenda se conferant, adscitis, si opus sit, finitoribus, explorentque, an prædia fructuosa, et in bono cultu conserventur. Si quos beneficiarios in hac re desides, et lentos deprehenderaus, juris remediis prospiciemus.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

X I.

Si extraordinaria exploratio iisdem a Nobis demandabitur, in ea perficienda accuratam operam præstabunt. Singulis annis statum Ecclesiarum, ædium parochialium, prædiorum Ecclesiæ, ac locorum piorum, et ea omnia, quæ memoratu digniora erunt, Nobis exhibebunt.

X I I.

Si qui Parochi a Parochia sua triduum abesse velint (2), facultatem iisdem de scripto concedant, modo non desit alius Sacerdos, qui muneribus parochialibus defungatur. Quod observent etiam Vicarii ipsi foranei, monito de sui absentia seniore Parocho sui Plebanatus.

(2) Bened. XIV. Notif. XVII. Vol. I. et amba Synod. nost. laud. ibid.

X I I I.

Quoties jussu nostro iis comitiis operam suam præstabunt, in quibus Parochiani dant suffragia Parocho deligendo, videant, ne quid sinistri accidat, et ut omnis simoniæ, et injustitiæ labes declinetur, et consulant prius Institutiones Benedicti XIV. (3) hac de re pertractantes.

(3) Notif. VII. et XII. Vol. I.

XIV.

X I V.

Si quis Parochus suæ ditionis graviter ægrotaverit, et tempus sinat, eidem operam suam conferat Vicarius foraneus, et omnia ei pie, et sedulo spiritualia subsidia præstet, nec ab eo recedat, donec diem obeat supremum. Quo mortuo, idoneo Sacerdoti Confessario administrandam Parochiam tradat, donec Œconomus a Nobis constituatur: Nosque de obitu statim certiores faciat. Interea, inventarium adhibitis testibus conficiet, et cuncta sigillo suo obsignata custodienda relinquet (1) fideli, idoneæque personæ; immobilia vero commendabit, ne quid injuriæ, aut detrimenti patiantur: monitis hæredibus de gravi culpa, et de excommunicationis pœna (2), si quidquam occupaverint, quod ad Ecclesiam pertineat; cartas vero omnes, librosque colliget, et in tabularium conjiciet, et clave obserabit, quam soli illius successori tradet. Vacante etiam beneficio simplici, eadem omnino perficiet, prout ejusdem beneficii ratio postulaverit (3). Ægrotante, et decedente Vicario foraneo, idem officium pietatis ei persolvet Parochus proximior (4), et ea ipsa præstabit, quæ facienda diximus a Vicario foraneo, idque si Vicarius foraneus Archipresbyter sit; si vero non sit Archipresbyter, tunc omnibus, quæ diximus, persolutis, de obitu Archipresbyterum moneat, qui Nos subito certiores faciet. Quando Parochus Civitatis obierit, Prior Cleri cum aliis duobus hoc munere defungetur.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(2) Synod. Hieronym. Columna P. III. Cap. VI. ex Trid. Sess. XXII. Cap. XI.

(3) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

X V.

Quoscumque a Nobis in Vicarios foraneos electos observari, et coli volumus; ne tamen ulla oboriatur confusio (5), primum locum sibi arrogare non poterunt in iis functionibus, quæ vicariam facultatem non importent, veluti in funeribus, et anniversariis, et in menstruis conventibus, nisi ex alterius dignitatis titulo eis præcedentia debeatur. Ubi vero vicariam facultatem exerceant, primum semper locum obtinebunt.

(5) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

CAPUT III.

De Parochis, et eorum Residentia.

I.

AD vos nunc studia nostra convertimus, qui Ecclesiarum gubernacula tenetis, et animarum Pastores estis, in quibus tota spes nostra conquiescit. Nam si minus vos attentos, solicitosque adjutores habuerimus, actum jam erit de tot nostris legibus, totaque solicitudo, atque industria nostra abjecta, et fracta periclitabitur. Nihil equidem optatius Nobis, nihil felicius obvenire potest, quam vos videre, tamquam strenuos bellatores ad prælianda Domini prælia constitutos, in Christi gloriam propagandam, in animarum salutem procurandam, in Ecclesiam tuendam curas vestras, labores, cogitationesque nobiscum conferre. Atque illud Nos vehemens desiderium incendit pro hac Ecclesia quamflorentissima Nobis demandata, quo se pro tota Ecclesia flagrare profitebatur divus Bernardus, qui ajebat (1): *o si viderem in vita mea Ecclesiam Dei talibus innixam columnis! o si Domini mei sponsam cernerem tanta commissam fidei, tanta creditam puritati! Quid me beatius, quidve securius, quum ejusmodi circa me vita mea et custodes spectarem simul, et testes? Quibus omnia mea secreta committerem, et communicarem consilia, quibus me totum refunderem, tamquam alteri mihi.* Utinam videre Nobis liceret Ecclesiam hanc nostram tot luminaribus distinctam, et collucentem, quot Parochiis, tot nostrorum consiliorum, et legum fidissimos perfectores, quot Parochos! Sed ea est Nobis de vestra docilitate, sedulitate, doctrina, et virtute existimatio, ut in hanc expectationem fidenter veniamus. Vos igitur, quæ ad vestram famam, ad Dei gloriam, salutemque communem omnium sunt, prospicite, atque consulite. Splendor vester facit, ut defice-

(1) Lib. IV. de Considerat. Cap. V.

re a dignitate vestra sine summo Ecclesiæ detrimento, ac periculo non possitis. Hoc memoria perpetuo tenere debetis, omnium oculos in vos esse conjectos: a vobis nihil expectari mediocre, et commune, sed undequaque excellens, et præstans; nihil non religiose, non sancte factum. Jam ea omnia, quæ hisce synodalibus sanctionibus continentur, vos singulariter attingunt: et vestrum erit, ea frequenter pervolvere, et scrutari, et exequi diligenter. Hic nonnulla commemorabimus, non vestræ virtuti diffidentes, sed currentes, ut dicitur, incitabimus.

II.

Itaque illud primo exigitur, ne animarum Rectores a suis longe sedibus se detineant, ne mercenariorum more greges sibi commissos deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum manibus a supremo Judice est requirendus, custodiæ minime incumbant. Residentia porro hæc multis nominibus necessaria, gravissime a summis Pontificibus, et a sancta Tridentina Synodo (1) inculcatur, et a Parochis accuratissime custodienda est. Nullus ultra triduum abesse a Parochia debet, nisi in Civitate a Nobis, vel a Vicario nostro obtenta facultate (2); in Diœcesi vero tridui absentia a Vicario foraneo repetatur. Absente autem Parocho alius semper idoneus Sacerdos præsto sit, muneribus parochialibus explendis, præsertim si dies festus sit, ne consuetæ functiones intermittantur. Omnino vero paschalibus diebus, tempore Adventus, et Quadragesimæ (3), et in festis Ecclesiæ celebrioribus abesse Parochi non debent. Si ab hoc gravissimo munere recedent, pœnas inferemus a Tridentina Synodo præscriptas. Ecclesiis ædes Canonicæ sint proximæ (4); si vero alicubi non sint, ibi construantur.

(1) Sess. VI. Cap. I. et Ses. XXIII. Cap. I.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap II. Et Bened. XIV. Notif. XVII. Vol. I. Et Pastoral. nost. ann. 1777. Vid. in Append. N. I.

(3) Locis itid. laud.

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

III.

Sed hæc residentia parum prodesset, si desidiosa esset, vel inutilibus occupationibus intercepta. Ab

iis, qui

iis, qui præsunt, sedulitas, et solicitudo expetitur: *qui praest in solicitudine*, ait Apostolus (1). Potior tamen, et intensior cura de seipso inesse Parocho debet, ut Deo amicus, et familiaris, precationi vacans, a Patre luminum pro sui, et animarum sibi creditarum salute opem, et lumen deposcat, et ad sui profectum prius incumbat, ut in aliorum utilitatem se effundat. Stultus sane esset, qui omnibus omnia factus, se ipsum solum despiceret: *quid tibi prodest*, ait divus Bernardus (2), *juxta verbum Domini* (3), *si universos lucreris, te unum perdens? quamobrem, quum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris munere tui?* Et vero, qui Deo plenus sit, et magnis virtutibus ornatus, hic ad omnem in vinca Domini colligendum fructum idoneus erit. Qui autem sibi nequam est, qui aliis frugi esse poterit?

(1) Ad Rom. XII. v. 8.
(2) Lib. I. de Consideratione, Cap. V.
(3) Matth. XVI. v. 26.

I V.

Si a quovis ecclesiastico viro sancta virtutum exempla proficisci debent, quanto magis expectanda a Parochis sunt, qui ut populi duces aliis ecclesiasticis prælucere debent, ne *quod verbis prædicant, moribus impugnent*, ait divus Gregorius magnus (4). Qui verbo, vel facto prava de se exempla præbent, *facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis*, ait Propheta (5). Unde et idem Gregorius ajebat (6): *nemo amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur*. Quare Apostolus animarum Curatores in discipulo suo Tito instruens, sic admonet (7): *in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*. Vultus ipse, totusque Parochorum corporis habitus sanctum quoddam, et religiosum exhibere debet, ut tamquam animati quidam cœli enarrent gloriam Dei, non dicentes tantum, sed et

(4) Part. I. Pastoral. Cap. II.
(5) Ezech. XLIV. 12.
(6) Loc. cit.
(7) Cap. II. v. 7.

sed et tacentes (1). Bona enim exempla in omnium oculis versantur: non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Minus etiam honori suo, famæque consulit Parochus, si se frequentius laicorum conviviis, præsertim nuptialibus injiciant, dicente divo Hieronymo (2): *facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, ire non recusat.*

V.

Sed nulla capitalior pestis, et studiosius a Parocho fugienda est, quam otium (3). *Fugienda proinde otiositas, mater nugarum, noverca virtutum. Inter seculares nugæ nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemiæ. . . . . . Consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est: labia Sacerdotis, ait* (4), *custodiunt scientiam, et legem requirunt de ore ejus, non nugas profecto, vel fabulas.*

V I.

Est et quoddam, quod ne dum Parochos non decet, sed eorum existimationem lædit, et despectui objicit. Quod etsi providentia sua Benedictus XIV. (5) revellere conatus sit, Nosque ipsi, dum Diœcesim lustraremus, comprimere non neglexerimus; pullulare tamen immoderantius non sine magno dolore nostro intelligimus. Scilicet vel quum indicuntur officia pro defunctis Parochiæ, vel quum dies festi celebrantur ejusdem Parochiæ, et alii Parochi, et Sacerdotes arcessuntur, nonnulli magnifica, atque splendida comparant convivia, quibus non modo ecclesiasticam gravitatem, ac modestiam excedunt, verum etiam suo exemplo aliis addunt stimulos ad æmulationem. Hinc fit, ut unius diei comissatio, et perpotatio magnam redituum partem exsorbeat, et ecclesiastici cœtus existimatio non levi offensioni sit obnoxia. *Æmulamini*, inquit Apostolus (6), *charismata meliora*. Ne igitur res in deterius vergat, omnino prohibemus, ne occasione Officiorum pro defunctis in communi, aut pro defuncto in particula-

(1) Ex Divo Joan. Chrysost. Homil. IX. ad Popul. Edit. Momfouc.

(2) Epist. ad Nepotian. §. 15.

(3) Lib. II. de Considerat. Cap. XIII.

(4) Malach. II. v. 7.

(5) Notif. XIII. Vol. III.

(6) I. Cor. XII. 31.

culari (1), aut pro conservatione messium, aut pro gratiarum actione, aliove ejusmodi titulo ullum umquam convivium instituatur. Quæ vero convivia fient in festo Titularis Ecclesiæ, aut alio ejusdem festo, ad eam omnino mediocritatem, et frugalitatem revocentur, quæ bonam gignat Ecclesiasticorum existimationem, quæque ab illis etiam Parochis haberi possint, quorum sunt reditus satis tenues: secus pecuniariis pœnis, aliisque arbitrariis animadvertemus.

(1) *Notif. laud. et Synod. Hieronym. Columnæ. P. III. Cap. VII. Et Synod. Jacob. Boncomp Lib. III. Cap. VI.*

V I I.

Est et alterum, quod Nobis vehementer solicitudini est, ut ratio de eleemosynis (2) a fidelibus oblatis exigatur, ut appareat, num pro stipendiorum numero Sacra quoque fiant, et sumptus non necessarii resecentur, qui, ut audivimus, aliquando majorem pecuniæ summam absorbent, quam qui in Sacrificiorum celebratione impenduntur, unde debita suffragia defunctis subtrahuntur, et offerentium piæ voluntates defraudantur. Hæc autem ratio Parochis exigenda est ab officialibus, et custodibus, quibus eleemosynæ pro his Officiis peragendis committuntur, ad formam a Benedicto XIV. præscriptam (3): ac denique reddendam hanc rationem volumus a Parochis coram Vicariis foraneis; atque hi Nobis reddent quum exigemus. Constituimus enim instaurare eos conventus, quos juxta veterem usum Vicarii foranei in Civitate celebrabant. His præerunt ii Cathedralis nostræ Canonici, quos pro exigenda Missarum, et onerum adimpletione in Civitate Visitatores deputari statuimus (4).

(2) *Bened. XIV. Notif. IV. Vel V. Et Pastoral. nost. 1777. §. 48.*

(3) *Notif. XIII. laud.*

(4) *Lib. II. Cap. VI. §. XX.*

V I I I.

Meminisse autem debent Parochi, se non ad otium, non ad delicias, sed ad labores in vinea Domini suscipiendos vocatos fuisse, ut evellant, ut destruant (5), et disperdant, et dissipent, et ædificent, et plantent. Itaque quæ huc illucque hisce decretis inseruimus, Parochorum vigilantiam, et sedulitatem requi-

(5) *Jeremiæ I.*

quirunt. Quæ de verbo Dei administrando, de tradenda diebus festis christiana doctrina, de Sacramentis rite, sancteque conferendis, de ægrotorum cura habenda, de munditia domus Dei, sacræque supellectilis servanda, deque aliis plurimis ad ipsorum munus pertinentibus diximus, horum omnium habere plenam notitiam debent. Nam quod attinet ad Missam pro populo applicandam singulis diebus festis, nullus animarum Curator (1), ad quodvis temporis spatium destinatus, eximitur.

(1) *Encycl. Ben. XIV.* Cum semper 1744.

I X.

Enitantur Parochi, ut ipsorum Ecclesia frequentetur, curentque, ne oves sibi creditæ alio divertere cogantur. Quod obtinere facile poterunt, si se totos suorum utilitati devoverint; nec tantum solemnioribus diebus ad Confessionis sedem accedant, sed saltem singulis diebus festis; et quamplures poterunt ad Sacramentorum frequentationem inducere conentur. Nec umquam ab eo munere se subducant, quum ab aliquo deposcuntur.

X.

Si quod malum, si qua prava consuetudo, si quæ scandala existere incipiant, principiis obsistant, ne convalescant. Interponant etiam Vicarii foranei auctoritatem, et quando opus sit, ad Nos perfugium habeant. Choreas certe, infensum pudicitiæ genus, quæque, ut ait Benedictus XIV. (2), a scelere raro sejunguntur, omni studio compescere satagant. Atque in Diœcesi præsertim vigilent, ne ruricolæ, dum noctu ad certos labores simul conveniunt, per cœcas tenebras choreas ducant. Quæcumque autem vitia serpere videant, cum iis arma conferant, et ad vivum resecent: instent, urgeant opportune, importune, obsecrent, arguant: idoneas arripiant occasiones, ut ex correctione fructum ferant, quæ, ut ait divus Thomas (3), facienda est, *ubi debet, et quando debet, et secundum quod debet.*

(2) *Notif. IX. Vol. IV.*

(3) 2. 2. *Quæst. XXXIII. Art. II.*

Nec eadem cunctis exhortatio prodest, quia, ut ait divus Gregorius magnus (1), *sæpe aliis officiunt, quæ aliis prosunt: quia et plerumque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt*. Abesse autem debent verborum acerbitas, contumeliæque, ne ex odio potius, quam ex emendationis desiderio profecta correctio videatur. Neque etiam animo dejici, avertique ab iteranda correctione debent, etsi alias nihil profecisse cognoverint. *En plaga: tibi incumbit cura hæc*, ait egregie divus Bernardus (2), *dissimulare non licet. Rides me forsitan, fore incurabilem persuasus. Noli diffidere: curam exigeris, non curationem: denique audisti, curam illius habe* (3), *et non cura, vel sana illum. Denique dixit quidam* (4): *non est in medico semper relevetur ut æger*. Divus Joannes Chrysostomus, ut ostendat, non prætermittendas correctiones, etsi pluries nihil profecerint, firmum diaboli propositum adducit in exemplum, qui millies victus, fractusque, manus iterum conserere audet. Ne deficiant igitur animo Parochi in curanda animarum salute, si in ea perdenda obfirmatus est diabolus. Omnino autem, dum ad corrigendum aliquem accedunt, precatione nitantur, et os Domini interrogent. Nisi Deus sermonem bonum immittat, doceatque et corrigentem, et correctum, fructu cassa correctio est, dicente divo Augustino (5): *Admonere quidem possumus per strepitum vocis: si non est, qui intus docet, inanis est strepitus vocis*.

(1) Prolog. in Part. III. Pastoralis.
(2) Lib. IV. de Considerat. Cap. II.
(3) Lucæ X. v. 35.
(4) Ovidius Lib. I. de Ponto El. X.
(5) Lib. de Magistro.

X I.

Verum nisi Parochi forma gregis suo exemplo fiant, et nisi domum suam bene regant, nec prædicando, nec corrigendo, nec increpando quidquam proficient. Itaque nulla verba scurrilia, turpia, obscœna excidant umquam. Absit, ut in tabernas ventitent, vel ut ad mulieres domi invisendas frequentius adeant, quam charitas requirat. Numquam in comitatu mulierum

rum videantur, multoque minus ad eas sustentandas manus porrigant: aleas oderint, jocosque profanos: si ludo aliquo honesto se recreent, id numquam in loco publico faciant. Turpe est, se bibaces, nimiosque vini potatores exhibere. Quævis avaritiæ suspicio odiosa est, contemptuique patet. Caveant, ne videantur pauperibus subtrahere, quod in consanguineos effundant. Meminerint in pauperum subsidium, et in Ecclesiæ decus impendendum, quod convenienti sustentationi superest. Omnia denique devitent, quæ reprehensioni subsunt, et ab omni specie mala abstineant, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum de ipsis dicere. Atque hæc memoranda censuimus, non quasi de Parochorum nostrorum virtute dubitantes, sed expressius ad eorum memoriam revocantes, quæ jam declinare consueverunt.

X I I.

Sed prius domos suas bene regere discant, ut aliorum domos in officio continere valeant. Namque, ut ait Apostolus (1), *si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Domum habeant rite compositam, et moratam, pacis, et virtutum domicilium. Videant, ne quid indecorum in ea contingat, atque ita excubent, ut si quid absonum fieret, statim sciant: *non oportet*, ait divus Bernardus (2), *ut vitia domus tuæ ultimus scias*: et subito remedio occurrant. Optandum autem esset, ut Parochi domus nullas fœminas exciperet; quia tamen id sperare non licet; eas tantum in contubernii societatem recipiant (3), quibuscum cognatio intercedit in primo, et secundo gradu consanguinitatis, et in primo affinitatis, modo nulla incommoda suspicione laborent. Ancillæ etiam quadraginta annis majores sint, et pudicitiæ laude commendatæ, obtentaque a Nobis facultate, quæ exhibito de earum honestate, bonaque fama testimonio, gratis expedietur.

(1) *I. Timoth. III. 5.*

(2) *Lib. IV. de Considerat. Cap. VI.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid. Bened. XIV. Notif. XV. et XVI. Vol. IV.*

X I I I.

Si Ecclesiæ reditus ferant (1), conducat Parochus Capellanum, ut sibi adjutorio sit; sed non omnes labores in eumdem rejiciat, ut ipse otio, desidiæque se dedat. Habeat ut socium laborum, sed non ut famulum. Si Capellanum habere non possit, curet, ut ex collatis eleemosynis diebus festis altera Missa celebretur, et inter primam, et alteram tantum intersit temporis, ut omnes commode Sacro adesse queant. Clericos initiatos ordinibus in iisdem exerceat (2). Pueros quoque instruant Parochi Diœcesis, ut in divinis ministeriis subsidium aliquod sibi conferant.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

X I V.

Omnia, quæ Religioni, pietatique adjumento esse possunt, invehant, servent, foveant, adaugeant. Lustralem aquam (3) singulis diebus dominicis renovent, curentque distribui per domos: videantque, ne vas, in quo in Ecclesia proponitur, sordes contrahat. Trinum salutationis angelicæ signum (4) summo mane, meridie, et sub noctis crepusculum campana dabunt. Hora prima noctis ad preces pro defunctis fundendas eodem sono excitabunt. Feria sexta tribus post meridiem horis pulsetur campana, qua invitetur populus ad recitandam quinquies flexis genibus precationem dominicam, et toties angelicam salutationem, ad excitandam, nutriendamque passionis, et mortis Domini nostri Jesu Christi memoriam, quemadmodum mandavit Benedictus XIV. (5) Qui enim hæc religiose observant, devoteque precantur, non solum sacrosancta Redemptionis nostræ Mysteria memoria recolunt, sanctasque cogitationes suscipiunt; sed et Indulgentiarum divitias sibi parere possunt, quæ a summis Pontificibus (6) sunt impertitæ illis, qui precationibus hujusmodi operam dant.

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(5) *Constit. quæ incipit* Ad passionis, 1740.

(6) *Vid. in Append. N. II.*

X V.

Jura parochialia retinere, et tueri Parochus debet,

bet, sed non transilire lineas. Præter alia multa, quæ huc, illucque adspersimus, benedictiones nuptiarum (1), cinerum, candelarum, ramorum, licet fiant in Ecclesiis laicorum gubernationi subjectis, ad Parochos pertingunt, quas tamen legitimo impedimento detenti aliis Sacerdotibus demandare possunt. Idem dictum intelligatur de consueta domorum aspersione.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

X V I.

Permultum confert ad jura parochialia servanda, ad reditus augendos, litesque finiendas, si beneficii prædia sæpe invisantur, et cognoscantur, deque iis accurata descriptio conficiatur. Ne huic sedulitati desint, hortamur vehementer. Descriptionis autem hujus exemplar unum parochialis Ecclesiæ tabulario consignetur, alterum Archiepiscopali. Namque omnem parochialem Ecclesiam tabularium suum, seu archivum habere volumus (2), diligenter, et clave custoditum. In eo reponantur scripturæ omnes, et illa omnia documenta, quæ ad jura, et onera illius Ecclesiæ pertinent, cum omnium bonorum sive mobilium, sive immobilium inventario, una cum authenticis sacrarum Reliquiarum testimoniis, Indulgentiarum diplomatibus, ac Visitationum decretis, non prætermisso harum rerum omnium indice. Documenta, et scripturas hujusmodi nemini tradat Parochus legendas, dispiciendasque. Si in aliqua Parochia tabularium hoc desideretur, intra sex menses construi jubemus.

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

X V I I.

Quinque etiam libros (3) separatim apud se Parochi omnes in tabulario servent: unum, in quo *Baptizati*, alterum, in quo *Confirmati*, tertium, in quo *Matrimonia*, quartum, in quo *Mortui* describantur, et quintum, in quo singulis annis *status animarum* parochiæ notetur. Pœnas autem Nobis arbitrarias luent, si hæc notare prætermiserint, vel tardius id fecerint. Nullam vero Baptismi, aut alterius rei quomodo-

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

modocumque attestationem (1) ex hisce libris elicitam præstent in causis criminalibus ad offensam, dummodo ad hunc finem peti intelligant.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

XVIII.

Quum Parochus in gravem morbum inciderit (2), si per tempus liceat, accurrat Vicarius foraneus, eique Sacramenta ministret; sin minus, proximior Parochus morienti subveniat, qui de obitu Vicarium foraneum certiorem faciet; ille vero ea gerat, quæ capite superiori gerenda diximus.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. ibid. Et Hieron. Columna. P. III. Cap. II.

XIX.

Defuncto Parocho, Parochiæ Administrator, seu Œconomus indicat populo preces ad illius animæ suffragium, et ad optimum Pastorem a Deo obtinendum. Invigilent vero Vicarii foranei, ut Œconomi in Canonica resideant, ibique decenter excipiantur, et hospitentur; atque adeo congrua, prout æquum est, habeant alimenta. Si quid contra acciderit, moneant Nos, et opportune providebimus.

CAPUT IV.

De Ecclesiarum Immunitate.

I.

Nihil est, quod magis Ecclesiæ pietatem, clementiamque testetur, quam, quod incredibili charitate intra religiosissima suorum Templorum septa eos ipsos excipiat, asylo foveat, benigneque complectatur, qui sibi bellum indixerunt, magnisque injuriis ipsam affecerunt. Etsi enim intelligat filios esse contumaces, perduelles, minime morigeros, latrones, viros sanguinum, sanctissimarum legum contemptores, sibi infensos, dolorisque filios; tamen ad se confugientes non abigit, a legum severitate, et animadversione vindicat,

dicat, et objecto scuto protegit, et alarum suarum obtentu tuetur, præteritarumque injuriarum oblita eisdem amantissime sinus pandit: *hoc enim*, ait divus Joannes Chrysostomus (1), *quovis tropheo splendidius est, quavis victoria illustrius: hoc Ethnicos, hoc Judæos pudefacit, hoc placiditatem vultus ejus ostentat, quod hosti captivo parcat, et ab omnibus desertum, ac contemptum sola, ut amantissima mater, suis velamentis occultet*. Hanc autem auctoritatem, quam et canonicæ, et civiles leges sanxerunt, jure quodam suo sibi arrogat, illosque pœnis coercet, qui eos, quos in tutelam sibi traditos servat, ab ejus amplexu abstrahere conantur.

(1) Homil. in Eutrop.

II.

Quia vero nihil est tam sanctum, nihil tam religiosum, nihil tam pium, quod non humana malitia corrumpat, et perdat, quum perfidiosi, nefariique homines, vel sub asyli spe, nullis non sceleribus indulgerent, vel in ipso asyli umbraculo, et in religiosis ædibus flagitia perpetrarent, necesse fuit asyli auctoritatem ad certos fines includere. Idcirco Gregorius XIV., aliique summi Pontifices, et novissime Benedictus XIV. quædam atrociora crimina, et quosdam nequiores homines ab jure asyli excludere voluerunt. Ex hisce colligitur, cujuscumque homicidii reos, ne dum viros, sed et mulieres, ne dum laicos, sed et ecclesiasticos, licet non ferro, sed baculo, aut saxo occiderint, ab jure asyli ecclesiastici excidisse. Sed longum esset omnes commemorare, qui vel eo beneficio gaudere debeant, vel eo fraudari. Perspicuum id fit ex Constitutionibus illorum Pontificum, et præsertim Benedicti XIV. (2), ejusque pastorali Institutione (3), ubi rationem tradit, qua e sacris ædibus extrahendi sunt ii, qui nulla gaudent immunitate. Porro quum homicidium tam execrabile crimen sit, ut ejus reos Ecclesia a se abjiciat, Parochis materiam suppeditabit homicidii atrocitatem ostendendi.

(2) Officii nostri 1750.
(3) Notif. XXI. Vol. II.

III.

III.

At iis sontibus, et delictis, pro quibus nulla asyli circumscriptio facta est, perfugium non denegat Ecclesia: quin ejus violatores excommunicationi subjicit summis Pontificibus reservatæ, a quibus absolutionem impetrare debent ne dum in aperto, et notorio violationis crimine delinquentes, sed et in dubio (1). Hac eadem censura illigantur, qui reis ad loca immunia confugientibus manus violentas afferunt, capiunt, violenterque extrahunt: atque ii quoque, qui prohibent alimenta, vestes, et cetera ad vitam necessaria ad eos deferri, qui in sacrum locum jam se receperunt: et demum et illi (2), qui castrorum more loca sacra circumvallant, et obsident, ut confugientes egrediantur; vel qui dolo, et fraude, aut timore incusso confugas e sacris ædibus deturbant.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. IV. ex Litt. S. Congr. Epist.*

(2) *S. Congr. Immun. 31. Jul. 1691. et 5. Jun. 1694. et alias.*

IV.

Nullus autem Rector, nec Superior tum secularis, tum regularis (3) petenti Curiæ, vel Judici laico tradet receptum in Ecclesiam, aut immunem locum, Nobis inconsultis, quamvis perspicue de eo constaret de asyli jure decidisse; sed re ad Nos delata, ea quæ de jure sunt, fieri mandabimus. Id unum præstare poterunt (4) Ecclesiarum Rectores, ut hos delinquentes juris asyli expertes esse moneant, et nihil sibi Ecclesiæ patrocinium suffragari.

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

V.

Quod jam sapienter constituit Prædecessor noster Jacobus Boncompagnus (5) servari volumus, et mandamus, præcipientes Parochis, ne contumacibus, facinorosis in Canonica præstent asylum, omnino prohibentes, ne hos recipiant sine nostro expresso assensu, et facultate; inquisitos vero de criminalibus ultra triduum ne retineant. Quod si aliter charitas suadeat, Nos, sive Vicarium nostrum consulant: cui pariter decreto subjectos volumus, et comprehensos declaramus Rectores, Custodes, Guardianos, et Officiales quarum-

(5) *Ibid.*

quarumcumque Confraternitatum, et Sodalitatum. Nec ullo modo committemus, ut hi flagitiosi homines, adscitis aliis otiosis, et consceleratis, in ludis, et comissationibus intra religiosa septa debacchentur.

VI.

Ne dum personæ jure asyli gaudent, sed res quæcumque in locis sacris depositæ, quasi in Ecclesiæ tutelam datæ: nec sine ipsius suffragio extrahi possunt. At ne Ecclesiæ auctoritas in invidiam adducatur, monendos ducimus quoscumque Ecclesiarum Rectores (1), et locorum piorum, ne merces recipiant depositi loco ad declinanda vectigalia pro iis solvenda, ne Ecclesia fraudum patrocinium suscipere videatur. Si de hac re Nobis constiterit, potestate ad tempus Nobis collata, et confirmata utentes, merces in locis sacris depositas extrahi mandabimus (2), et arbitrarias pœnas irrogare non prætermittemus. Qua de re Archipresbyteris epistolam dedimus, cujus præscripta servari volumus.

(1) *Synod. Jacob. Leonen. p. I. et Hieron. Column. P. II. Cap. IX.*

(2) *Ex Litt. S. C. Immun., et Edict. nost. an. 1776.*

VII.

Asyli honore, et locali immunitate gaudent non solum Ecclesiæ, et publica Oratoria; sed loca pia quæcumque Episcopi auctoritate constituta, quæ proinde quasi Ecclesiastica habentur, ut hospitalia pauperum, ædes episcopales, ac similia.

VIII.

Quum ex regula juris (3) *ex eo non debeat quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare*, qui confugio abutuntur, jure asyli excidunt. Abutuntur autem, qui ad contemptum forensis ministerii in vias publicas e loco immuni prodeuntes alicui injuriam faciunt, qui prætereuntibus minas intentant, eosque perterrefaciunt, aliaque loco sacro indigna, et indecora committunt; quos idcirco, ut Ecclesiæ benignitate, ac tutela indignos, facultate Nobis facta a SS. D. Pio VI., ab immuni extrahi præcipiemus, ut meritis pœnis subjiciantur; quemadmodum Edictis nostris (4), declaravimus.

(3) *Reg. 31. Jur. in 6.*

(4) *Ann. 1779., et 1782.*

A 2 CA-

CAPUT V.

De Cleri Conventibus, et Capitulis.

I.

EA est humanæ naturæ conditio, ea imbecillitas mentis, ut ex peccati labe ignorantiæ vulnere sauciata, tenebris circumfusa, veritates difficile attingat, et in scientiam labore summo contendat, et quæ jam didicit, facili negotio excidant, et deleantur, ad instar vasis rimarum pleni, ex quo humor infusus defluit, indigetque, ut novis accessionibus perfundatur. Itaque quum ex iis, quæ alibi diximus, litterarum peritia, et earum præcipue scientiarum doctrina, quæ ad mores formandos pertinet, viro ecclesiastico sit apprime necessaria; docendi enim munus imponit Sacerdotii necessitudo, ut ait divus Ambrosius (1): docere autem nequit, nisi qui prius didicerit, dicente eodem sancto Doctore: *unus verus Magister est, qui solus non didicit, quod omnes doceret; homines autem discunt prius, quod doceant, et ab illo accipiunt, quod aliis tradant;* idcirco, qui Sacerdotii dignitate fulgent, ita se comparare debent, ut docere alios viam veritatis, et mandatorum Dei possint. Neque id ullo modo assequentur, nisi magnis laboribus ad discendum enitantur, partamque scientiam assiduis exercitationibus excolant.

(1) Lib. I. de Officiis Cap. I.

II.

Quamobrem volumus, ut Parochi, et Sacerdotes omnes, otio, ceterisque secularibus occupationibus remisso nuncio, toto vitæ tempore in studia litterarum incumbant, et in ea potissimum cogitationem, curamque collocent, quæ ad procurandam animarum salutem conducant: ut sacram Scripturam perlegant, et meditentur: sacros Canones, historiam ecclesiasticam, veteremque disciplinam addiscant, in Patrum lectione versen-

versentur, Tridentinæ Synodi sanctiones pervolvant: in sacram eloquentiam se abdant: ritus sacros, et cæremonias ab Ecclesia institutas perspectas teneant: numquam vero finem faciant Morali facultati operam dandi, et conscientiæ, quos dicunt casus, excutiendi. Nolumus autem, perfusoria doctrina contentos esse; sed eos libros Moralis facultatis adhibendos curent, e quibus tuta, et solida doctrina repeti possit, et qui sint illius fontes; non autem quasi rivuli, ab ipso capite arcessiti. Porro turpe est, alienam doctrinam, quasi invectitiam, non suam facere, et in alterius judicio sine firmæ rationis præsidio conquiescere. Sed in perfectam hanc, absolutamque doctrinam ingredi nemo potest, qui non prius in adolescentia ingenium educaverit, tenerum formaverit, et adultum perpetuo excoluerit.

III.

Quamobrem mandamus (1) omnibus Parochis, etiam regularibus, et Confessariis quibuscumque Civitatis, ut menstruis casuum decisionibus intersint: et in eos, qui abfuerint, si legitimo impedimento retenti non fuerint, animadvertemus; diligentes vero officiis complectemur. Accedant autem omnes bene parati, et instructi, rebusque bene pensitatis: nec ab eo conventu se subducant, non omnium casuum explicatione perfecta: quippe non dicitur venisse, qui non stetit (2).

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. VI. et Hieronym. Columb. P. III. Cap. VII. et Bened. XIV. Notif. XII. Vol. II.*

(2) *Bened. XIV. ibid.*

IV.

Sed et in Diœcesi diligens ratio horum conventuum habenda est, ubi et difficiles sæpe, implicitique casus occurrunt, et minor est copia eorum, quibuscum consilium conferre possint. Nos igitur Benedicti XIV. (3) vestigia persequentes, præcipimus Archipresbyteris, ut singulis mensibus cætus indicant pro examinandis propositis moralis Theologiæ quæstionibus, faciantque, ut Parochi, et Confessarii Sacerdotes in

(3) *Notif. XIV. Vol. V.*

 hos

hos cœtus conveniant, afferantque suas de scripto responsiones, nec se immunes ab hoc conventu putent, nisi vel gravi morbo laborantibus operam suam præstare debeant, vel ipsi vera ægritudine detineantur. Nec vero huic muneri se facere satis putent, si scriptam tantum responsionem transmittant. Cœtu coacto, suam quisque responsionem expromat. Qui præest, opiniones, vel nimium laxas, vel intemperantius severas ad lineam redigat. De proposita materia sermo ultro, citroque habeatur: acriores tamen contentiones, et rixæ omnino devitentur. Pars deinde Synodi perlegatur (1), ea quidem distributione, ut singulis annis Synodus tota evolvatur. Opportunum deinde erit, si quæ existant corruptelæ aliquo in loco, si qua serpant vitia, coram omnibus proponere, et quæ remedia applicari possint, exquirere, ut, si opus sit, Vicarii foranei Nos certiores faciant, ut validioribus remediis nascenti malo consulamus. Si aliquo mense ob viarum incommoda, cœlique intemperiem intermittantur hi cœtus, quum iterum coguntur, prætermissi casus cum aliis ad eum mensem pertinentibus, explicabuntur. Numquam autem die festo (3) hi cœtus indicantur, ne Parochi, et Sacerdotes a suis Ecclesiis abstrahantur.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibid. et Hieron. Columm. P. III. Cap. I.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(3) Synod. Jacob. Boncomp. ibid. et Hieron. Colum. P. III. Cap. VII.

V.

Nec ab hac lege solutos volumus Archipresbyteros titulares; sed et ipsi proximiorem Archipresbyterum non titularem deligant (4), ad quem se conferant cum suis Capellanis, aliisque Parochiæ Confessariis, quotiescumque cœtus Ecclesiasticus ab illo convocabitur. Illi autem omnes, in quorum ædibus, vel Ecclesia conventus habetur, quique cœtui præsunt, investigent diligenter, an omnes adfuerint, quorum intererat. Eos autem, qui nulla interposita legitima causa abfuerint, accurate describent, eorumque nomina (5) deferent, dum mense Novembri scriptas singulorum responsiones ad Pa-

(4) Bened. XIV. Notif. XIV. Vol. V.

(5) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

ad Patrem pœnitentiarium transmittent, eaque Nobis exhiberi curabimus, ut in socordes, minimeque obtemperantes animadvertamus.

V I.

Mirum sane (1), in pluribus Sacerdotibus reverentiam, obedientiamque erga Episcopos, quibus eam solemniter spoponderunt, adeo refrixisse, ut eorumdem præcepta sæpe nihili habeant, oppugnent immo aliquando, atque derideant. De nostris quidem Sacerdotibus bene sentimus, confidimusque futuros ut in aliis omnibus morigeros, ita et in hac tam necessaria exercitatione obedientes, et minime desides, ne moralium rerum ignorantia præoccupati, cæci cæcos ducant, et ambo in foveam cadant: *ignorans utique ignorabitur*, ait divus Bernardus (2): *immo et multos ignorare faciet, et ignorari. Quid enim periculi sit, ubi non invenit Pastor pascua, ignorat dux itineris viam, vicarius nescit domini voluntatem, Ecclesia quotidie experitur multipliciter, et miserabiliter*. Equidem Nos Archipresbyteros sive titulares, sive non titulares parere detrectantes, pœnis pecuniariis multabimus, in pia opera impensa pecunia. Parochos vero ad novum examen revocabimus, si pervicaces hisce jussis faciendis deprehendemus, quemadmodum se facturum interminatus est Benedictus XIV. (3). Confessarios demum severiori examine, ultra inobedientiæ debitas pœnas, excipiemus.

(1) *Bened. XIV. Notif. XIV. Vol. V.*

(2) *In ea verba:* Ecce nos reliquimus omnia.

(3) *Notif. cit.*

V I I.

At Capitula a Canonicis aliquando habenda sunt, certisque legibus frequentanda. A Majori, vel a Camerario congregatio indicenda est (4), et reliqui interesse non negligant; sed reliquis Canonicis, justis de causis reclamantibus, ne congregatio fiat, amice, placideque prætermittatur. Tempore Divinorum officiorum (5) nulla indicatur congregatio, ne Divinus cultus detrimentum capiat: secus facientes ab jure distributionum

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. VI. et Hieron. Colum. P. III. Cap. VII.*

(5) *Amba Synod. nost. laud. ibi.*

num excident, quæ illis horis respondeant. Consuetis precibus incipienda, et finienda congregatio est, ab eo recitatis, qui præsit.

VIII.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

Unusquisque loco suo sententiam dicet (1): sedate loquatur, neque altiori voce, quam pro loci amplitudine opus sit. Liberum sit cuique suam sententiam proferre, quæ tamen justitiæ, et æquitati sit consentanea. Oratio sit modesta, neque aculeos in aliquem habeat: gestus item omnis nullius contemptum præseferens. Ad sententias, quæ in Capitulo dicantur, stabiliendas, suffragia secreta, et consueta calculorum ratio adhibeantur, ut, quod major pars senserit, id statuatur. Si gravius negotium inciderit (2), non erit festinanter definiendum, sed prius proponatur, datoque opportuno ad deliberandum tempore, in altera congregatione res conficiatur.

(2) Amba Synod. nost. laud. ibid.

IX.

Ab hisce congregationibus nemo, cui legitima facultas non desit, excludi debet. Tunc solum alicui vetitum interesse (3), si de aliqua re ipsum attingente agatur, ne de sui ipsius causa suffragium ferat; sed eo negotio definito, si alia pertractanda sint, advocari, admittique debet. Capitulares vero sacris Ordinibus nondum initiati carent voce activa, et passiva.

(3) Amba Synod. nost. ibid.

X.

Extra capitularem locum comitia ne celebrentur, nisi gravi causa postulante. Ut vero indicto Capitulo, nemini, absque legitimo impedimento, abesse licet; ita nec recedere, nisi illo absoluto. Sed nec cuiquam integrum sit, officia, vel munera, sibi a Capitulo demandata, detrectare, secus a Nobis compelli poterit. Servanda demum a Canonicis sunt, quæ in Statutis, et Constitutionibus suis, quoad Capitula, et eorum jura, atque ordinem illa habendi, continentur.

XI.

X I.

Jura sua tueri tenentur Canonici. Idcirco vigilent, advertantque diligenter, ne aliqua per socordiam, et oblivionem intercidant. Si litis contestandæ necessitas urgeat (1), non ex distributionibus, sed ex præbendarum massa repetendæ expensæ sunt. Uni ex Canonicis demandetur (2) cura litteras ad Capitulum datas aperiendi, iisdemque rescribendi; facta tamen cum aliis Canonicis consultatione, a quorum communi sensu non recedet.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Ambr. Synod. nost. ibid.*

X I I.

Qui erit a secretis Capituli, sive alio nomine deputatus ab ipso Capitulo (3), Acta capitularia describet in libro, et decreta item Capituli, singulorum præterea, qui interfuerunt, notatis nominibus, die quoque, mense, et anno, nec non hora, quibus congregatio habita est. Sigillum Capituli (4) non ad omnium manus veniat; sed duplici clave custodiatur, quarum alteram electus habeat, alteram is, qui Major sit, vel ad quem alias legitime pertineat. Eadem cautione tabularium Capituli custodiatur. Solent Canonici sese jurejurando obstringere, ne, quæ in Capitulo sunt gesta, patefaciant. Quod quidem religiose servandum est. Id tamen non officit, quin ad Ordinarium referantur (5), quæ dirigi, emendarique indigeant.

(3) *Ambr. Synod. nost. laud. ibid.*

(4) *Ambr. Synod. nost. laud. ibid.*

(5) *Synod. Fulginat. Baptistel. Cap. III. Num. 38.*

CAPUT VI.

De Expositione Sanctissimi Sacramenti.

I.

Mirabile, divinumque Eucharistiæ Sacramentum est illud luminare majus in hoc Ecclesiæ cœlo constitutum, cujus fulgore, et majestate adeo ipsa explendescit, ut cœlestem Jerusalem æmuletur. Nam quum per il-

per illud Christi Domini præsentia perpetuo illuminetur, et ad ejus thronum consistat, et secum familiarissime versantem sentiat, eumque complectatur, et deosculetur, cœlestis illius domus felicitatem aliquo modo attingit, ut uno tantum gradu a Cœlitibus distemus, quod illi præsentes beata visione perfruuntur; nos vero præsentem, et tamen ab oculorum sensu remotum, sacrorum Mysteriorum admirabili integumento se occultantem, firma, et constanti fide veneramur, Dei domestici effecti: et tantum Sacramentum est ille meridies ex divo Bernardo (1), cujus pascua suavissima requirebat sacrorum Canticorum Sponsa. Hinc Ecclesia, ut sui Sponsi præsentia, complexuque perpetuo frueretur, vel a primis seculis instituit, ut semper in Templis præcelsum hoc Sacramentum asservaretur; et indubia habemus testimonia (2) tam in græca, quam in latina Ecclesia ante seculum quartum in Columbis aureis, vel argenteis sanctissimam Eucharistiam custoditam fuisse. Sed nec inde satis amori suo, obsequioque fecisse se credens Ecclesia, interdum ex illis, quasi privatis latebris, occultisque recessibus ipsam educens, publice adorandam proponit, omnesque fideles excitat, ut accedant ad Christum, et illuminentur. Nihil est porro, quod Nos majori afficiat lætitia, animique voluptate, quam videre in hac nostra Civitate, modo in una, modo in altera Ecclesia saluberrimam hanc consuetudinem inveterasse, ut singulis diebus publica Expositio fiat, omnesque ad Divinum Regem nostrum commodam, facilemque admissionem habeant. Quem sanctissimum morem, ne dum summopere commendamus; sed et modis omnibus confirmatum volumus: mandamusque, ut omni splendore, et decentia tam sanctum opus perficiatur. Et præter ea, quæ alibi (3) diximus, hic nonnulla adjicienda putamus.

(1) *Sermon. XXXIII. in Cantica.*

(2) *Synod. Trid. Sess. XIII. Cap. VI. Vide etiam Jacob. Bossuetum* Traité de la Communion sous les deux espèces.

(3) *Lib. II. Cap. V.*

II.

II.

Jam nemini, salva fide, dubitare licet (1), cultum Latriæ, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento exhibendum esse; adeoque ut semper demisso, sinceroque animo colendum est, ita multo magis, dum publice exponitur. Nulla vero solemnis expositio (2) etiam in Regularium utriusque sexus Ecclesiis fiat, nisi facultate a Nobis impetrata. Ubicumque autem fiat, nihil Altari immineat præter augustissimum Sacramentum, non pictæ tabulæ, non reliquiæ, non simulacra Sanctorum: ardeant vero in Altari saltem viginti e cera lumina, vel minimum quod sit, lumina quatuordecim, si Ecclesia sit pauper (3). Cavendum tamen diligentissime, ne Divina Eucharistia, tam alta sede locetur, neque tot ornatuum involucris obvolvatur, ut in ea exponenda, vel recondenda quidquam a decoro alienum contingat.

(1) *Ex Synod. Trid. Sess. XIII. Cap. V.*

(2) *Synod. Hieron. Columm. P. II. Cap. V, et Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. VII., et Congregat. kl. tuum 26. Febr. 1628.*

(3) *Instruct. jussu Clem. XII. Romæ edit. 1730.*

III.

Tali tempore, etsi Sacrum fiat ad alia Ecclesiæ Altaria, tintinnabula ne personent: omnis strepitus conquiescat (4): accedentes, et recedentes utroque genu procumbant, idque faciant ante Altare prætereuntes. Nemo lancibus circumeat, eleemosynam pro Ecclesia ipsa exquirendo. Si prohibendi sunt semper pauperes, ne in Ecclesia stipem quærant, ut alibi diximus, multo magis tali tempore abigendi sunt (5). E foribus Ecclesiæ velamina pendeant, ut a via ad Altare obtutus intercludatur, neque ante Ecclesiam nundinarum species instruatur, et illa omnia amoveantur quæcumque inconditos clamores edant, rumoresque loci, et temporis sanctitati non consentaneos.

(4) *Ambæ Syn. nost. laud. ibi.*

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

IV.

Quantum fieri potest, ad ipsum expositionis Altare, Missa, nisi in cantu, ne celebretur. Nihil autem canendum, quod non ad ipsum Sacrificium pertineat. Canentes enim, vel instrumenta musica pulsan-

tes meminisse debent, se Sacerdoti sacrificanti inservire, neque par esse, ut Sacerdos se se illis accommodet. Quod perpetuo observandum est, cum Missa solemniter celebratur. At quando ad ipsum expositionis Altare Sacrificium peragitur, Sacerdos consueto modo ne abluat manus, sed e gradibus descendat, vultumque ad populum obvertat, ceterosque ritus observet ob reverentiam tanto Sacramento debitam praescriptos (1). Divina officia celebrantes ne sedeant: quod si ob diuturnitatem temporis id permittatur, aperto capite sedeant. Si exposito Sacramento habenda sit concio, aperto capite fiat, nisi obtectum sit aliquo velo Sacramentum. Nullo modo patiemur, ut (2), qua die expositio habetur, alia celebritas, vel in honorem beatae Virginis, vel alterius Sancti in eadem Ecclesia peragatur; sed totus honor uni Divino Regi persolvatur. Mares a fœminis, quantum fieri potest, sejungantur (3).

(1) *Vid. Joseph. Cuppini Instr. ann. 1747.*

(2) *Bened. XIV. Notif. X. Vol. II.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

V.

In qualibet Ecclesia, in qua solemnitas hujusmodi habeatur, intra Altaris septa ad infimum gradum sint parata scamna, in quibus duo Sacerdotes, vel duo Clerici (4) devote precentur, designenturque prius, qui alternis vicibus tale religionis officium devotissime obeant. Si a sodalibus id peragatur, sint habitu suo induti, et seposita habeant a Sacerdotibus scamna, ubi obsequium suum summo Regi praestent. Ad Altare soli Clerici superpelliceo induti ministrent; in Diœcesi vèro, si Clerici desint, ministrare poterunt et laici, modo superpelliceum induant.

(4) *Synod. ead. ibi.*

VI.

Post solis ortum, et illucescente die (5), opportuno tempore expositio fiat, et tota functio ante noctis adventum absolvatur; ita ut hora vigesima quarta Ecclesiae fores occlusae sint.

(5) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

VII.

Quotiescumque autem in Metropolitana Ecclesia (6) indicta

(6) *Synod. Hieron. Columna. ibi.*

indicta fuerit quadraginta horarum precatio, universus Urbis Clerus secularis, qui publicis solet interesse supplicationibus, ac Sodalitates omnes, cunctus præterea populus in classes partitus sub propria Parochia, et Cruce præeunte, constitutis horis, suam obituri functionem in eamdem conveniant solemni processione consueto cantu psalmorum, et precum, et in ea summa devotione precentur. Quo munere peracto, unusquisque eodem ordine, quo processerit, suæ Parochiæ Crucem prosecutus ad suam pie, et devote revertatur Ecclesiam.

VIII.

Porro si in Ecclesiis Monialium expositio habeatur, nocturno etiam tempore retinenda (1), ipsæ in interiori Ecclesia illam adorantes per statas noctis horas, sibi invicem distributas perseverent, exteriori Ecclesia semper clausa, nulloque laico ad orandum umquam intromisso.

(1) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

IX.

Si pro privata causa, veluti pro infirmo, expositio fiat; minori quidem pompa, sed tamen decenti peragatur. Sex saltem accensis luminibus, tabernaculum aperiatur, et ad ostiolum sacra Pyxis collocetur, completisque precationibus, nulla impertita benedictione, iterum obseretur (2).

(2) *Decret. S. R. Congregat. 7. Sept. 1598.*

X.

Ubi autem ex nostra concessione in Ecclesiis per Diœcesim contigerit Eucharistiam publicæ adorationi fidelium exponi, videant Vicarii foranei (3), ne quid venerationi desit cum in luminibus, tum in ea decentia, quæ tanto debetur Sacramento: quibus pariter committimus distributionem conflare pro Ecclesiis sibi subjectis, a Nobis, vel Vicario nostro approbandam, ut singulis mensibus in aliqua Vicariatus sui Ecclesia solemniter exponatur (4). Optamus autem vehementer ad compescendam effrænem baccanalium insaniam per

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Amba Syn nost. laud. ibi.*

eos dies in aliquibus Diœcesis Ecclesiis solemnem fieri sanctissimi Sacramenti expositionem ad eam rationem, quæ in Civitate servatur.

X I.

Nos profecto flagrantissime cupimus, religiosam hanc consuetudinem conservari, adaugeri, omnique devotionis ardore compleri. Sed et Parochorum ardeant studia, incendantque fideles, ut adveniente die, quo in suis Ecclesiis hæc celebritas peragenda sit, erepta ex mundi negotiis aliqua diei parte, summum Regem gloriæ adoraturi veniant, doceantque nihil esse præstantius, nihil gloriosius, quam in Dei conspectu versari, eumque familiariter alloqui. Beatos prædicabat Regina Saba (1) eos omnes, qui stabant coram Rege Salomone, et ejus sapientiam audiebant; at quanto beatiores illi existimandi sunt, qui coram Divino hoc Salomone consistunt, ejusque consuetudine perfrui possunt? *Apud ipsum solium regium*, ait divus Joannes Chrysostomus (2), *sistitur, etiamsi sit pauper, si famulus, si privatus, si indoctus. Non quærit enim Deus linguæ elegantiam, nec verborum compositionem, sed animæ pulcritudinem; et si ea, quæ ipsi placent, loquatur, tota re effecta recedit. Vides, quanta facilitas? ... Non assistit miles, qui expellat, non satelles, qui opportunitatem tollat. Non est, qui dicat: tempus nunc non est accedendi, veni postea: sed quando veneris, stat audiens.*

(1) *Regum III. Cap. X. v. 8.*

(2) *In Psal. IV. §. 2.*

CAPUT VII.

De Processionibus.

I.

Quum omnia honeste, et secundum ordinem ex Apostoli præcepto facienda sint (3), multo magis illa in-

(3) *I. ad Corinth. XIV. 40.*

illa intra honestatis, convenientiæ, decoris, et ordinis fines contineri debent, quæ ad Religionem pertinent, quæ Deo obsequium, reverentiamque testantur, nobisque bona innumerabilia conciliant. Quia vero inter opera Religionis non postremum sibi vindicant locum supplicationes illæ, et ex fidelium cœtu conflata agmina, quæ ex Ecclesiæ instituto, piaque consuetudine publice fiunt, hæ ad omnem dignitatem, et decorem, ordinemque revocandæ sunt. Ob hanc enim causam celebrare eas consuevit Ecclesia, ut Deo honos persolvatur, eique gratiæ agantur pro tot beneficiis nobis clementissime collatis, et ut quoque calamitates, quibus sæpe obruimur, ipse leniat, et ut eumdem criminibus nostris exacerbatum ad misericordiam convertamus. Essent autem Religioni ludibrio, Deo contemptui, et acerbiorum calamitatum irritamento, si indecore, et inordinate, et temere peragerentur.

II.

Igitur nemini liceat inusitatas, et novas supplicationes inire (1), etiam qualicumque impendente necessitate, non facta a Nobis, vel a Vicario nostro generali facultate. Quum vero publicæ supplicationes indicuntur, omnes tam Clerici seculares, quam regulares accedere tenentur ex Tridentina Synodo (2), iis solis exceptis Regularibus, qui ex privilegio eximuntur. Suum quisque locum, ordinemque retineat, nec se in alterius classem interjiciat. Mares a fœminis seorsim sint. Præcedant laici: tum Societates, tum Clerus; deinde fœminæ subsequantur, ut castrorum acies ordinata videatur: omnes bini procedant: silentio utantur: gravi incessu, modestoque (3), non curioso oculorum obtutu, non obvios consalutantes, sed precationi intenti psalmos, hymnos, vel alias preces recitantes, tamquam Angelorum agminibus consociati, et in conspectu Dei incedentes: quippe, ut ait divus Bernardus (4): *in processione cælestis Patriæ repræsentamus gloriam*. Prius autem

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. VIII. Et Hieron. Columna. P. II. Ca. XVIII.*

(2) *Sess. XXV. Cap. XIII. de Regular. et Monial.*

(3) *Amba Syn. laud. ibid.*

(4) *Sermon. I. Domin. Palm.*

autem probi aliqui designentur viri (1), qui recto, pulcroque ordine singulos disponentes Processionem dirigant universam. Sacrâ circuitione peracta, non subito abscedant (2), sed in Ecclesia, ad quam reditus est factus, consistant, donec a sacris Ministris consuetæ preces sint absolutæ. At in Diœcesi longiora itinera ne peragantur, quam par sit, quia nimia defatigatione corpora ingravescunt; animi vero affectus extinguitur, et decorum amittitur.

III.

Adhibenda est præterea corporis munditia, non tamen exquisita nimis: eadem est ratio habenda vestitus, in quo mediocritas est optima. Clerus quidem secularis (3) superpelliceo, et bireto utatur. Qui Sodalitiis sunt addicti, habitum suum deferant. Nolumus autem in has induci pueros seminudos, divi Joannis Baptistæ speciem præseferentes, vel alio quocumque ecclesiastico habitu indutos. Turpe est enim, res tam sanctas, et graves his nugacibus formis ludificari. Arcendi sunt etiam importuni ii pueri, aliique, qui funales cereos emungunt; quod sacros cœtus perturbent.

IV.

At Regulares, quibus ex privilegio conceditur, extra suæ domus quidem septa supplicationes deducere, Nobis insciis novas circuitiones ne peragant, sed vias tantum jam electas perlustrent. Ii vero (4), qui hisce privilegiis destituuntur, non obtenta a Nobis facultate, prodire e septis domus non debent. Veruntamen, dum intra domus claustra sacros ducunt cœtus, nullo modo fœminas in ea pervadere patiantur, vetitumque sciant ex Benedicti XIV. constitutione (5). Atque iidem ad deferendam Crucem (6), et duo e latere funalia laicos non admittant; sed vel Conversos suos, vel Clericos superpelliceo indutos.

V.

Sed nulla splendidior supplicatio nec religiosior est,

(1) Synod. Hieron Column. ibi.

(2) Synod. Hieron. Columm. ibi.

(3) Amba Syn. nost. laud. ibi.

(4) Amba Syn. nost. ibid.

(5) Regularis disciplinæ anno 1742.

(6) Synod. Jacob Boncomp. ibi.

est, quam quando per octavam Corporis Christi divinissimum Eucharistiæ Sacramentum per vias, et loca publica circumfertur: sed nec ulla magnificentius, et celebrius exhibenda est. Parochi inserant frequenter cordi, et mentibus fidelium, præsertim diebus, quibus peragenda est, quo affectu, qua animi munditia, et quanta honorificentia compleri debeat: *æquissimum est enim*, ait præclare Tridentina Synodus (1), *sacros aliquot statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione gratos, et memores testentur animos erga communem Dominum, et Redemptorem pro tam ineffabili, et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, et triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio, et hæresi triumphum agere, ut ejus adversarii in conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati, et fracti tabescant, vel pudore affecti, et confusi aliquando resipiscant*. Doceant proinde, ut est convenientissimum (2) vias floribus adspergi, et odoris suffimentis redolere, parietes aulæis, et tabulis, omnique ornamentorum genere nitescere; ita multo magis par esse, mundo corde, expiatoque pœnitentia animo his sacris cœtibus intervenire, dicente divo Bernardo (3): *in processione Domini, nec iniquus locum habet, nec stultus*. Et qui hisce pietatis agminibus sese adjungunt, imitari debent devotam animi affectionem puerorum, qui Christo obviam facti, eum solemniter Hierosolymam deduxerunt, pium Hosanna promentes, et omni honoris significatione prosequentes.

(1) *Sess. XIII. Cap. V.*

(2) *Ambæ Synod. nost. ibi.*

(3) *Serm. II Domin. Palm.*

V I.

Prima quoque Dominica cujusque mensis præcelsum hoc, et venerabile Sacramentum in unaquaque Parochia per vias, et loca publica insigniori pompa, qua potest, supplicatione indicta, deferatur (4), Sodalitii confratribus habitu indutis, et lumina deferentibus, associan-

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. II. Cap. III Et Hieronym. Columna. P. I. Cap. IX.*

sociantibus, aliisque de populo comitantibus, qui indulgentias a Pontificibus (1) impertitas comparare sibi poterunt. Idcirco in omni Parochia sodalitium sanctissimi Sacramenti constitutum esse debet, et ubi non sit, volumus, ut constituatur. Bis autem eadem die sanctissimi Sacramenti benedictio in eadem Ecclesia non impertiatur, nisi in festo Corporis Christi, et in ejus octava, et primis cujusque mensis Dominicis, quibus tamen diebus altera benedictio per Sacramentum in pyxide clausum fiat.

(1) Vid. in Append. Num. III.

VII.

Solemnibus illis supplicationibus sanctissimi Sacramenti, quæ quotannis, peculiari quadam solemnitate in Parochiis peraguntur, Clerici omnes, et Sacerdotes talari veste, et superpelliceo induti interesse debent, et ii præcipue, qui ecclesiastico aliquo beneficio gaudent. Ii autem omnes ea modestia se gerant, ut ad imitandum laicos provocent. Supplicatione procedente currus, et rhedæ consistant, et rustici utroque poplite genuflectant: qui vero rhedæ insident, de ea desiliant, et genibus flexis sanctissimum Sacramentum adorent. Rhedarii autem, detecto capite, corpus humiliter inclinent. Ii quoque, qui sellis vehuntur, statim prosiliant, et in genua provolvantur. Atque hæc religiose observentur, quoties sanctissimum Sacramentum per vias delatum occurrat. Quod quum præscripserit prædecessor noster Benedictus XIV. (2), omnino confirmamus, et ab eis, qui aliquod irreverentiæ specimen dederint, pro criminis gravitate pœnas repetemus.

(2) Notif. V. Vol. I.

VIII.

At Parochus processurus ad communicandum infirmum aliquot campanæ ictibus jubeat convocari fratres Sodalitio adscriptos, aliosque pios Christi fideles, et illa omnia ad servandum decorem faciat, quæ a Rituali romano præscribuntur. Insuper consuetudo illa religiose observetur, recentissimo etiam decreto in Urbe præscri-

præscripta (1), ut prætereunte processione, qua sanctissimum Sacramentum solemniter ad infirmos deferatur, ante fores alicujus Ecclesiæ, vel domus regularis, in itu, et reditu campanæ pulsentur. Regressus ad Ecclesiam Sacerdos ponat Sacramentum super Altare, et consuetis precibus recitatis (2) enunciet indulgentias a summis Pontificibus concessas sanctissimum Sacramentum comitantibus: deinde cum Sacramento in pyxide velo cooperto faciat signum Crucis super populum. Hortamur autem vehementer omnes, ut quam frequentissimi (3) ad tantum pietatis, et grati animi erga Christum Dominum officium confluant, magnam exinde mercedem consecuturi. Eos vero Dominos magnopere commendamus, qui impediti quum sunt, ad id opus famulos, et domesticos cum luminibus mittere non negligunt. Clerici vero, qui ad initiationem sacrorum Ordinum contendunt, si in hoc opere desides fuerint, repellentur, et ideo testimonium Parochi de facta hac associatione afferant. Nam certe Sacerdotes in hoc officio, et obsequio Redemptori præstando remissi, et lenti, valde a munere suo deficerent, in quorum manus singulis diebus descendere non dedignatur. Si nocte provecta deferri Viaticum ad infirmum debeat, campanæ sonitu populus convocandus non est, sed exclusis fœminis, qui poterunt viri, cum luminibus, Deique laudes recitantes comitatum instruant.

(1) *Urbis S. Rit. C. 10. Mart. 1757.*

(2) *Rit. Rom. tit. de Comm. Infirm.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. II. Cap. III.*

I X.

In pagis, et villis frequentioribus eadèm ratio servetur in deferendo ad infirmos Viatico; at in locis montanis, abruptis, et silvestribus ea major decentia adhibenda est, quam locorum, et temporum circumstantiæ patiantur. Quod si longius, aut difficilius iter obeundum sit, et fortasse etiam equitandum, necesse erit vas, in quo Sacramentum defertur (4), bursa decenter ornata, et ad collum appensa apte includere, et ita ad pectus alligare, atque obstringere, ut neque decidere, neque pyxide excuti Sacramentum queat.

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. II. Cap. III. Et Hieronym. Column. P. I. Cap. IX.*

X.

Sed et magnis religionis, et devotionis argumentis celebrari volumus eas supplicationes, quæ ad B. Virginis obsequium frequentari solent, et illas præsertim, quæ in minoribus Rogationibus fiunt, in quibus effigies, quam a divo Luca depictam accepimus, per urbem effertur, per quam Deus multis beneficiis Urbem nostram cumulavit. Nihil enim optabilius Nobis esse potest, quam ut civitatem hanc nostram in tutela hujus amantissimæ Matris conquiescere videamus, eique obsequentissimam conservemus. Hæc murus nobis est, hæc præsidium, hæc refugium. Idcirco divi Bernardi verbis utentes (1), amorem, et reverentiam in eamdem flagranti pectoris affectu confirmamus: *totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

(1) *Sermon. de Nativit. B. M. V.*

X I.

Quia vero nonnulli sub pietatis specie, pietatem ipsam infringunt, et destruunt, videant omnes, ne die festo B. Mariæ Virginis supplicationem prosequentes Sacrum vel prætermittant, aut minus attente et devote eidem intersint. Neque etiam tolerandum est, ut beatissimæ Virginis effigies ad libitum, et petitionem cujusque per omnes Civitatis vicos, et mæandros tota die deducatur. Id enim dignitati, majestatique sanctissimæ Virginis, cujus imago est, minus consentire videtur. Et similiter dum ruricolæ ad Civitatem conveniunt, supplicationem ad Templum B. Virginis in monte *Guardiæ* facturi, id omnino servandum indicimus, ut mares a fœminis, sive in sacro agmine conflando, sive in diversoriis pernoctando perpetuo sejuncti sint.

X I I.

Laudabilis quoque, ac perantiqua nonnullarum Ecclesiarum, ac confraternitatum consuetudo retineatur (2) ut ad quatuor Civitatis loca, in quibus a divo Petronio

(2) *Synod. Hieronym. Column. P. II. Cap. XVIII.*

trionio constitutæ cruces religiose coluntur, supplicatum eatur statutis horis, et temporibus.

XIII.

Denique in hisce publicis functionibus tricæ futiles, molestæque controversiæ ex præcedentia existere solent, quæ scandalum pariunt, discordiasque non leves. Nos potestate a Tridentina Synodo muniti (1), amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, pro viribus eas componere, et dissolvere contendemus.

(1) Sess. XXV Decr. de Regul et Monial. Cap. XIII.

CAPUT VIII.

De Beneficiis.

I.

QUum illi, qui Altari deserviunt, de Altari vivere debeant, dignusque sit operarius mercede sua, Ecclesia de suorum Ministrorum necessitatibus mire sollicita, pro se laborantibus partem aliquam de Christi, et pauperum patrimonio impertiri consuevit, et beneficia largiri eo consilio, ut vineam Domini diligenter excolant, in Dei gloriam adaugendam intendant, et animarum saluti omni contentione prospiciant, abjecta rerum mundanarum cura. Idcirco plurimum interest, ut iis tantum beneficia ecclesiastica conferantur, qui digni, habilesque sint, quemadmodum tota antiquitas semper conclamavit, pluriesque inculcat sancta Tridentina Synodus.

II.

Nos equidem in hac specula positi, studia nostra ex sola Dei gloria, et Ecclesiæ utilitate metientes, in eos solos oculos conjiciemus in distribuendis beneficiis tam simplicibus, quam animarum procuratione devinctis, quos eminens scientia, fervida pietas, Dei zelus, in

salute animarum excitanda sedulitas, et laborum ecclesiasticorum perfunctio commendaverint. Qui vero magnatum patrocinio (1), et commendatione confident, hos hoc ipso nomine tamquam indignos, et exauctoratos repellemus.

III.

Indicto autem concursu pro parochialibus Ecclesiis ad exacuendam industriam, cuique freto iis notis, quæ requiruntur, liceat accedere. Nemo quemquam (2) a concurrendo deterreat in sui, vel alterius commodum, nec precibus intercipiat, multoque minus paciscatur. Nam, si vel timor incussus, vel initum pactum Nobis detegatur (3), is omnino reprobatus erit, in cujus favorem hæc fieri contigerit.

VI.

Flagitiosissimas in beneficiis nundinas execramur. Itaque qui alteri beneficium procurant, ut a proviso aliquid consequantur, vel sibi ipsis, vel aliis postea resignent, vel qui annuas pensiones offerunt pro impetrando beneficio, ne dum in Dei iram incidunt, sed et pœnarum ecclesiasticarum gladio compunguntur (4). Simoniæ confidentialis labe adspersus, inquinatusque est, qui beneficio contentus alteri cedit fructus, vel ita beneficium retinet, ut ad alterius nutum tacito pacto, vel expresso eidem cedere teneatur. Hi autem præter beneficiorum amissionem, perpetuamque ad ea consequenda inhabilitatem, excommunicatione Pontifici reservata puniuntur (5). Has, similesque pestes ne dum profligandas, sed ne nominandas quidem inter nostros volumus.

V.

Nullum erigi beneficium debet sine nostra auctoritate; dabimus autem operam in ejus erectione, ne quid desit in adjunctis oneribus persolvendis.

VI.

Plura simul obtinere beneficia ecclesiasticæ sanctiones, et

(1) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. IX. et Hieronym. Colum. P. III. Cap. V.

(2) Amba Syn. nost. laud. ibi.

(3) Amba Syn. nost. laud. ibi.

(4) Paullus IV. anno 1557. Et amba Syn. nost. ibi.

(5) Ex Const. S. Pii V. 1568. Et Altera 1569.

nes, et Tridentina Synodus præsertim improbant (1). Nos ab hac lege non recedemus, unum tantum beneficium singulis conferendo. Quod si ob tenuitatem (2) ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, aliud conferemus, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat.

V I I.

Ne iniquæ pactiones (3) se se interponant in præsentationibus ad beneficia juris Patronatus, volumus præsentatos ante institutionem per sancta Evangelia jurare, nullum cum Patronis pactum interfuisse (4).

V I I I.

Dum beneficium non vacat, quævis promissio, etsi jurejurando firmata, de eodem conferendo, aut ad illud præsentandi, nullius est roboris (5). Vacante igitur tantum beneficio, postulationi locus datur, libello supplici exhibito. Sed ii, quorum interest nominare, meminerint se in eo negotio, Dei, et Ecclesiæ, et animarum causam agere, præsertim si beneficium adjunctam habeat animarum procurationem: spectanda non esse vel præstita obsequia, vel amicorum commendationes, vel postulantium utilitates, et commoda; sed unam Dei gloriam, et animarum, et Ecclesiæ utilitatem, quam nisi mundanis, et privatis quibuscumque affectionibus anteponant, Deo ipsi rationem reddent. Illos vero, qui hæc juris Patronatus beneficia consequentur, volumus per examen de scripto factum suæ scientiæ specimen præbere. Nam et Patronos ecclesiasticos monitos volumus, ipsos teneri ex approbatis in concursu eum eligere, quem digniorem judicaverint, quemadmodum Benedictus XIV. mandavit (6). Porro parochiales Ecclesiæ, quæ ad Nos spectabunt, solo concursu, et per scriptas responsiones a Nobis diligenter ceteris perpensis requisitis conferentur, sicuti fieri jam ex decreto Clementis XI. præceperat idem Benedictus XIV. (7) idemque Pontifex confirmavit (8).

IX.

(1) *Sess. XXIV. Decret. de Reform. Cap. XVII.*

(2) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

(3) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

(4) *Vid. in Append. Num. IV.*

(5) *Cap.* Detestanda *2. De Concess. Præb. in 6.*

(6) *Constit.* Redditæ nobis, *anno 1746.*

(7) *Not. VII. Vol. I.*

(8) *Constit.* Cum illud *anno 1742.*

I X.

Obtinentes beneficia (1) a Sede apostolica, vel aliter, quam a Nobis, vel Vicario nostro generali in possessionem immissi, intra mensem computandum a die possessionis, doceant de adeptione novi beneficii, et Cancellario nostro titulum exhibeant, et documenta tradant (2), ut plenam cognitionem beneficii, et a quo impetratum fuerit, habeamus.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Gavant.* V. Benefic. Possessio *n.3. ex Conc. Prov. Med. II.*

X.

Quicumque beneficium obtinuerint, multis se obligationibus obnoxios agnoscant. Nam præter Fidei professionem, de qua libro primo capite primo diximus, antequam ad beneficii possessionem deveniant, consuetum jusjurandum emittere debent coram Nobis, vel Vicario nostro generali. Præterea ad horarum canonicarum quotidianum pensum obstringuntur ii, qui beneficiis decorantur; aliter ante Judicis sententiam fructus beneficii restituere tenentur ex Leonis X. (3) et sancti Pii V. (4) sanctionibus, et ex damnata ab Alexandro VII. propositione (5). Quæ fructuum amissio ad illos etiam pertinet, qui pensionem ex bonis Ecclesiæ profectam percipiunt, si officium parvum B. M. Virginis, vel aliquam ejus partem omittant.

(3) *In Conc. Later. V.*

(4) *Constit.* Ex proximo.

(5) *Num. XX.*

X I.

Obligationes Missarum celebrandarum, vel aliæ quæcumque beneficiis adnexæ, omni accurata ratione sunt adimplendæ. Et quidem dum visitatio peragitur, vel Altarium, vel Ecclesiarum, quibus inhæreant, beneficiati iidem per se ipsos interesse teneantur, vel si legitimo impedimento prohibeantur, per suum procuratorem, ut de sua administratione rationem reddant (6): aliter pœnæ indicentur a Nobis, et ad fructuum etiam beneficii privationem, si opus erit, procedemus. Etsi vero beneficio nulla esset adjuncta Missarum celebrandarum obligatio; æquum tamen esset, aliquoties per annum

(6) *Zerol. Prax. Epis.* V. Privatio. *Et S. C. C. 8. Octob. et 14. Nov.* [illegible]

annum pro illis Missas celebrari, quorum pietate, et facultatibus beneficium erectum, vel dotatum, aut reditibus auctum sit: idque multo magis faciendum (1) die, qua memoria illius Sancti renovatur, in cujus nomine institutum beneficium est.

X I I.

Beneficiati universi intra annum suscipiant Ordinem proprio beneficio respondentem: aliter enim Canonici privantur voce activa, et passiva in Capitulo, et dimidio distributionum, et diutius cunctando, etiam ipso beneficio, quod possident (2).

X I I I.

Qui beneficium sunt adepti, sub pœnis arbitrio nostro infligendis, intra mensem a die possessionis inventarium conficiant, pro ut juramento se obstrinxerunt in ipsa institutione, seu collatione, bonorum omnium sive mobilium, sive immobilium sui beneficii, cujus exemplar tradatur asservandum in Cancellaria nostra, juxta ea, quæ alibi sanximus: et aliud exemplar authentice conflatum in tabulario suæ Ecclesiæ collocetur.

X I V.

Sed illud cordi esse debet iis, qui beneficiis gaudent, præsertim pinguibus, ne Christi hæreditatem ad luxum, ad consanguineos locupletandos, ad apparanda splendide, magnificeque convivia, et ad profusos in mundi rebus sumptus traducant. Meminerint enim ea, quæ honestam sustentationem excedunt, in Ecclesiæ commodis, et in egenorum necessitatibus levandis impendi oportere, ut aperte Patrum, et Conciliorum voces testantur. *Conceditur ergo tibi*, ait divus Bernardus (3), *ut si bene deservis, de altario vivas; non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias... denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est*. Et alio in loco pauperum quere-

(1) *S. C. Conc.* 24. *Martii* 1657. *apud Monacel. Tom. II. tit. XV. f.* 28.

(2) *Clem.* Ut ii, *de ætat. et qualit.*, *Trid. Sess. XXII. Cap. IV. etc.*

(3) *Epist. II. Edit. Mabil.*

querelas in Clericos sumptuosos exponens, ait (1): *clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, et dicunt ... nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis ... nostris necessitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris.* Caveant igitur, ne quod benigne ab Ecclesia datur, in sui, et aliorum ruinam convertatur.

XV.

At beneficiorum permutationes nec temere, nec levibus de causis, nec fœda cupiditate, sed legitima de causa, a Nobis semper adprobanda (2), fieri debent. In his autem cavenda semper, quæ vel minimum labem simoniacam sapiant. In resignatione autem beneficiorum amandandos, exscindendosque penitus volumus abusus, quos Benedictus XIV. Constitutionibus suis damnavit (3). Quamdiu tamen beneficium retinetur, gravis urget obligatio servandi ædificia quælibet ad Ecclesiam spectantia sarta, et tecta, sacram quoque suppellectilem integram, et prædia bene culta. Quod si prætermissum fuerit, et Beneficiario vivente Nobis innotuerit, impositis pœnis illum ad partes implendas suas cogemus, aut certe eodem defuncto ab hæredibus repetundas exigemus (4).

XVI.

Ceterum, quæ de honestate Clericorum supra diximus, et quæ de bonis Ecclesiæ capite sequenti dicemus, exequi omnia debent aliquo beneficio decorati, etsi insideret animo propositum superiores Ordines non suscipiendi.

(1) *Tract. ad Henric. Senon. Cap. II.*

(2) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

(3) *Prima qua incip.* In sublimi *anno* 1741. *Et altera, qua incip.* Ecclesiastica ministeria *anno* 1746.

(4) *Vid. in Append. Num. V.*

CAPUT

CAPUT IX.

De Bonis Ecclesiasticis, et eorum Reditibus, et Juribus conservandis.

I.

DUo requirebat divus Bernardus (1) ab eo, qui bona Ecclesiæ administraret, ut prudens, et fidelis esset, quia *is, si fidelis non fuerit, fraudabit, si non fuerit prudens, fraudabitur*. Id nec sapientius, nec accomodatius dici potuit. Nam quum Ecclesiæ bona ex sacrorum Canonum, et Pontificum, et Conciliorum consensione sint pretia peccatorum, vota fidelium, patrimonium Christi, et pauperum, res Deo dicatæ, deposita pietatis, et Deo commendata, nisi prudenter, fideliterque custodiantur, facile dilabentur magna cum Christi injuria, Ecclesiæ contemptu, et pauperum detrimento. Idcirco non exiguam nostræ vigilantiæ partem reputamus, bona Ecclesiæ tueri, et conservare.

(1) *Lib. IV. de Considerat. Cap. VI.*

II.

In primis itaque intra bimestre a Synodi hujus publicatione computandum (2) universi Ecclesiarum, beneficiorum, confraternitatum, societatum, et locorum piorum possessores, et administratores, et rectores, inventarium conficiant bonorum omnium mobilium, et immobilium, et jurium quorumcumque, in quo adjungantur Notariorum nomina, appositis die, mense, et anno, quibus quæcumque bona stipulatione intercedente sunt acquisita, distincte enumeratis reditibus, censibus, canone, emphyteusi, expressis etiam omnibus, et singulis oneribus, nec prætermissis indulgentiis, et Sanctorum reliquiis. Si hoc decretum ad præstitutum tempus non fuerit executioni mandatum ab iis, ad quos pertinet, Nos eorumdem expensis per idoneos viros

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. X. Et Hieronym. Columm. P. III. Cap. VI.*

adimpleri faciemus, et reluctantes arbitrariis pœnis compescemus.

III.

Mandamus quoque Notariis quibuscumque tam Civitatis, quam Diœcesis sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda (1), nobisque reservata, ut intra mensem a die rogitus, vel aperitionis testamenti Cancellario nostro notitiam tradant tam legatorum, quam substitutionum quarumlibet ad Ecclesias, Oratoria, hospitalia, loca pia, Regularium cœnobia, Sanctimonialium monasteria, vel Altaria pertinentium. Sed nemo audeat absque facultate nostra, nisi velit incidere in pœnam refectionis damnorum, et in alias arbitrarias, acceptare hæreditates, donationes, seu legata, quæ Ecclesiis, locisque piis fiant, si onus aliquod adjunctum habeant.

IV.

Noverint autem universi Ecclesiarum, beneficiorum, ac locorum piorum rectores, possessores, et administratores sub gravissimi anathematis pœna vetitum esse, bona quæcumque ecclesiastica, tam immobilia, quam mobilia, si fuerint pretiosa (2), alienare, distrahere, hypothecis obstringere, nisi interjecta apostolica facultate. Sancta etiam Tridentina Synodus (3), juribus Ecclesiæ vindicandis intenta excommunicationi Pontifici reservatæ supponit eos omnes, et ipsorum fautores, qui Ecclesiæ bona, et jurisdictiones, census, ac jura in proprios usus convertere, et usurpare præsumpserint.

V.

Alienationes igitur quorumcumque bonorum (4), seu jurium ecclesiasticorum, permutationes, et emphyteuses privata auctoritate factas, ipso facto nullas, et irritas declaramus. Et licet in contractu ineundo Sedis apostolicæ beneplacitum reservatum fuisset, claudicaret tamen, nec executioni mandari, nec tradi possessio posset,

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

(2) *Ex Extravagant.* Ambitiosæ.

(3) *Sess. XXII Cap. XI. de Reform.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

posset, nisi beneplacito vere obtento (1). Locationes quoque, quæ triennium excedant, reprobamus, nisi sint modici valoris, et ex facultate nostra, quæ factæ non sint ad normam Extravag. ***Ambitiosæ***. Minus etiam probatas esse volumus locationes (2), quæ fiant ad modicum tempus, nisi præcesserit edictum publice affixum, antequam ineantur, et nisi præstita idonea fideijussione celebrentur. Rejicimus præterea (3) locationes anticipatæ solutionis, in successorum præjudicium, sicut et venditiones fructuum adhuc pendentium. Vetitum insuper est, de Ecclesiæ bonis transigere, illis servitutem aliquam imponere, aut ejus res mobiles oppignorare (4). Denique hæc bona vetamus iis locari, qui ære veteri contracto cum Ecclesia, se ab eo nondum liberarunt.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) *Synod. ead. ibi.*

(3) *Synod. Trid. Sess. XXV. Cap. XI. Et Syn. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Bened. XIV. Not. 11. Vol. IV.*

V I.

Sed et recordentur beneficiati esse quoddam genus vetitæ alienationis unico actu confectæ, annuos reditus beneficiorum, quos, donec viverent, percipere possent, alteri cedere, et vendere, accepta pecunia ad eam summam, et quantitatem, quam ipsi habita ratione ætatis, et corporis valetudinis, durante vita, verisimiliter consequi potuissent. Nam Benedictus XIV. (5) hosce contractus vel in vitam, vel ad longum tempus initos, nedum cassos, irritosque declaravit; sed et excommunicatione confossos.

(5) *Constit.* Universalis Ecclesiæ cura 1741.

V I I.

Beneficiati, et quicumque bona ecclesiastica permutare, vel ad longum tempus alicui concedere, aut alio quovis modo alienare sine debitis conditionibus, et facultatibus, et non præmissa Cancellario nostro notitia, antequam deveniant ad instrumenti stipulationem, præter penas jam latas contra male alienantes, (6) multæ subjaceant scutorum vigintiquinque. Permutatione autem legitime facta, instrumentum novi contractus Cancellario nostro tradatur, quod in tabulario asservabitur.

(6) *Synod. ead. ibi.*

VIII.

Iidem Beneficiati abstineant ab innovanda emphyteusi bonorum Ecclesiæ (1) absque novo apostolicæ Sedis beneplacito, nisi a tempore immemorabili absque eo locari consueverint, et si quæ reciderint ad Ecclesiam, et de Mensa fuerint facta, nulli alteri licebit in emphyteusim concedere absque dicto beneplacito, et quantum fieri poterit, retineantur pro Mensa. Sed circa ecclesiasticas emphyteuses habendæ præ oculis sunt, et accurate dispiciendæ Constitutiones (2) Benedicti XIV. hac de re editæ. Quæ autem Nobis specialis facultas sit facta circa emphyteuses, aliasque alienationes beneficiorum secularium patet ex Brevi ejusdem Pontificis ad Prædecessorem nostrum Vincentium Card. Malvetium, quod in Appendice (3) apponetur.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid. Et Hieron. Colum. ibi.*

(2) Vigilanti providentiæ 1743. et Inter multa 1749.

(3) *Append. Num. VI.*

IX.

Ut declinetur omnis suspicio fraudis, et doli (4), nullus Beneficiatus locationes, aut alios contractus ineat de bonis Ecclesiæ cum Patronis, multoque minus cum resignantibus beneficia. Nec piorum locorum administratores (5) admittantur ad locationes bonorum ad ipsa pia loca pertinentium. Satius etiam esset (6) bona Ecclesiæ non iis laicis conducenda tradere, quorum bona iis Ecclesiæ sint finitima, ne temporis tractu confinia implicentur; si tamen justis de causis conductio iisdem tradatur, curetur, ut legitimi fines graphice exarati sanciantur, atque, ut dicitur, *planta* prius conficiatur.

(4) *Am'a Syn. nost. laud. ibi.*

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(6) *Synod. ead. ibi.*

X.

Rectores Ecclesiarum, et beneficiorum (7) pecuniam in fructus collocandam nullo modo apud se retineant, multoque minus in rem suam quidquam distrahant; sed deponant super ædem sacram, et interim indagare pergant diligenter, quî in bonis stabilibus, et fructiferis, et tutis, vel in perpetuis censibus, vel in locis Montium minime vacabilibus eamdem collocent. Si do-

(7) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

Si dolo, vel culpa quidquam peccaverint, præter reatum culpæ animadversionem nostram non effugient, et de damno Ecclesiæ illato tenebuntur.

X I.

Quoties vero beneficiatis, piisque locis facultas detur rem immobilem alienandi, aut æris alieni contrahendi injuncto onere quotannis certam pecuniæ summam deponendi, vel intra certum temporis spatium æs alienum dissolvendi, sub pœnis contra male alienantes decretis, ii, ad quos spectat, impositam conditionem adamussim impleant (1): et quotannis de facto deposito documentum afferatur. Si non possint stato tempore conditiones implere, prorogationem tempestive postulent, ne in pœnas canonicas incidant.

X I I.

Id ipsum administratoribus, et conservatoribus locorum piorum (2), et confraternitatum, et societatum indicimus: idque ulterius ab eis exigimus, ut opportunam nacti occasionem pecuniam collocandi, eam proponere teneantur in generali, vel particulari congregatione a toto Corpore specialiter deputata. Deinde si rebus bene ponderatis, datisque secreto suffragiis, tres ex quatuor partibus rogatorum annuerint, res conficiatur. Tum rectores hos Ecclesiarum, ac beneficiorum, et confraternitates, et societates, ac administratores, et conservatores hujusmodi locorum piorum ad notitiam rei gestæ Cancellario nostro authentice exaratam intra mensem suppeditandam, et in tabulario nostro asservandam, obstrictos volumus. Huic decreto non obtemperantes, ultra damnorum refectionem arbitrio nostro multabuntur (3). Atque hoc in loco quoscumque locorum piorum administratores admonitos volumus, et mandamus, ne notabiles, insignesque expensas in ædificiis extruendis faciant; quemadmodum ut decerneremus sacra Congregatio (4) mandavit; sive in aliis quibuscumque rebus, non accepto nostro consensu.

(1) *S. C. Concilii anno 1657.*

(2) *Synod. ead. ibi.*

(3) *Synod. Jacob Boncomp. ibi.*

(4) *S. C. Episc. 7. April. 1786. et nostra Notif. Vid. in Append. Num. VII.*

XIII.

XIII.

Quia vero Moniales (1) ob rerum mundanarum imperitiam, rebus hisce gerendis minus per se idoneæ sunt, ideo de nullo contractu deliberent, nisi interposita illorum probatorum virorum opera, qui earumdem negotiis dirigendis sunt destinati; exemplum autem instrumenti a Vicario nostro, et a Sindico Mensæ probari debet.

XIV.

In erectione cujusvis beneficii sive liberæ collationis, sive juris Patronatus, præsentatus minime instituatur, nec beneficiato (2) possessio novi beneficii detur, nisi prius Cancellario traditum fuerit instrumentum authenticum bonorum pro dotatione beneficii, adjectis eorum confiniis, juribus, ac ceteris qualitatibus; idemque Cancellarius in calce mandati subscribat, bona omnia cum suis juribus in Archivo fuisse descripta: quæ ipse gratis expediet, secus ab officio statim suspendetur, et pœna viginti aureorum multabitur (3).

XV.

Etiam ii, qui titulo patrimonii ordinantur, antequam Ordines sacros suscipiant, tradant Archivo authentice descripta bona patrimonium constituentia (4), et Notarius de more ad calcem litterarum, seu requisitorum testetur eam notitiam authenticam fuisse Archivo consignatam. Neque ordinandi ad examen, et ad Ordines admittentur, si ea testificatio desideretur. Sit autem omnino vetitum fructus patrimonii ad vitam, vel ad longum tempus vendere, et cedere alteri, quemadmodum de beneficii fructibus est dictum ex Constitutione Benedicti XIV.

XVI.

Vix dici potest, quot damna inferantur Ecclesiæ bonis, et juribus ex incuria, ignaviaque beneficiatorum, et administratorum locorum piorum. Præcipimus ergo (5) sub interminatione divini judicii, ne ipsorum negli-

(1) Synod. ead. ibi.

(2) Synod. Hieronym. Colonn. P. III. Cap. VI.

(3) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(4) Amba Syn. nost. laud. ibid.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

negligentia jura, et bona Ecclesiæ lædantur, ne inculta prædia dilabantur, ne ædificia deterantur: idcirco ad loca beneficiorum aliquando se conferant, adscitisque viris peritis, videant an bene omnia se habeant. Enitantur etiam, ut alienata vindicentur, periculo obnoxia communiantur, possessa augeantur, deperdita, judicio etiam interposito, si opus sit, recuperentur, debitoresque, adhibitis juris, et facti remediis, ut solvendo sint, adigantur. Meminisse debent, Ecclesiæ bona, quasi fidei suæ esse commissa, seque personam Ecclesiæ gerere. Idcirco, quæ ipsorum culpa Ecclesiæ obvenerint damna, et quæ utilitates non derivaverint, ære suo compensare debebunt.

X V I I.

Nemini liceat arbores bonorum ecclesiasticorum incidere, quacumque ex causa, neque sub utilitatis Ecclesiæ colore, non obtenta a Nobis, vel a Vicario nostro facultate, nec ea obtenta numero plures succidere, quam permissum fuerit; alioquin pœna suspensionis ab officio, et beneficio (1) ad beneplacitum nostrum punietur, et ad damna compensanda adigetur. Succisis arboribus, aliæ pro opportunitate substituantur. Hac tamen lege non continentur arbores, et sylvæ cæduæ, quæ inter fructus prædiorum computantur.

(1) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

X V I I I.

Si Ecclesiæ, vel Canonicæ male materiatæ, et ruinosæ sint, ad Vicarium nostrum res deferatur, qui eos ad refectionem excitabit, quos vel de jure, vel de consuetudine huic oneri obnoxios noverit (2).

(2) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

X I X.

Quicumque ad loca pia administranda deliguntur, præstito de fideliter suo munere gerendo juramento (3), intelligant, se veluti Ecclesiæ, et pauperum tutores esse constitutos, nec posse de illorum bonis ad arbitrium disponere, nec sibi ullam partem vindicare, vel ad alios usus traducere, quam piæ fundatorum, et largitorum volun-

(3) *Ex Clementina de religiosis domibus Cap. Quia contingit.*

voluntates decreverint, alioquin non custodes bonorum Ecclesiæ, sed direptores, et sacrilegi erunt existimandi, et restitutioni faciendæ erunt obnoxii. Quare singulis annis suæ administrationis rationem reddere teneantur Ordinario, vel cum Ordinario aliis ad id deputatis: neque ultra triennium uni, eidemque personæ administratio hujusmodi committatur juxta Synodi Tridentinæ præscriptum (1), nisi aliter in fundatione cautum reperiatur.

(1) *Sess. XXV. Cap. VIII. de Reform.*

CAPUT X.

De Oblationibus.

I.

OBlationes in Ecclesia factæ adeo antiquæ sunt, ut Apostolorum ætatem agnoscant. Sanctus enim Paullus (2) non semel eas commemorat, ideoque ex tam præclara origine profectæ, et satæ, religiose retinendæ sunt. Quumque, ipso Apostolo docente (3), quæcumque ad misericordiæ fomentum erogantur, hilari promptoque animo sint conferenda, multo magis, quæ Deo ipsi in Ecclesia donantur hilariter, libenterque sunt tribuenda. Quapropter in iis Ecclesiis parochialibus (4), in quibus usus invaluit harum oblationum, prætermitti non debent; sed, dum Missa parochialis dicitur, sit, qui circumeat, et eleemosynas cogat, idque ab offertorio usque ad præfationem, quo tempore omnis conquisitio cesset, ne potiori Sacrificii parti evagationis occasio detur. At ea sola oblatio dicto tempore conquiratur, quæ ad sanctissimi Sacramenti decorem, et cultum attinet, quæque ex veteri consuetudine cum Sacrificio aliquam conjunctionem habet. Nam reliquæ oblationes ad valvas tantum Ecclesiæ corrogari debent.

(2) *I. ad Corinth. Cap. XVI.*

(3) *ad Rom. XII. v. 8. Et II. ad Cor. IX. v. 7.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. II. Et Hieron. Column. P. II. Cap. XIII.*

II.

II.

Ecclesiis non parochialibus, seu Oratoriis publicis oblationes non competunt (1). Si autem consuetudo legitime inducta id dederit, factæ oblationes includantur capsulæ duplici clave obseratæ, et una penes Parochum, altera penes Capellanum sit, ut in sacra Visitatione statutum est. Nefas autem erit Capellano, vel alteri Sacerdoti ibidem Sacrum facienti, easdem sibi vindicare; sed in iis operibus impendantur, propter quæ dari consueverunt. Si vero nulla ibi sit societas, nullum pium opus, quod publicæ utilitati deserviat (2), cedant hæ oblationes vel Parocho, in cujus Parochia Oratorium existat, vel Nobis declarandum reservamus, in quos pios usus converti debeant.

(1) *Amba Synod. nost. ibid.*

(2) *Amba Synod. ibid.*

III.

Ut effræni cupiditati obsistamus, omnino irrita pacta decernimus, et damnamus (3), quæ de dividendis oblationibus, aut incertis, et futuris locandis ineantur, et ipso facto interdicto ab ingressu Ecclesiæ ad sex menses obnoxium volumus Parochum, ultra viginti quinque aureorum multam, qui has locationes iniverit: et interdicti tempore alius substituetur, qui munera parochialia gerat; alios vero conducentes, aut quomodolibet paciscentes de futuris oblationibus, eadem pœna constringimus.

(3) *Amba Synod. nost. ibid.*

IV.

Facultate nostra, vel sacræ Congregationis non concessa, vetitum sit vendi, oppignari, aut destrui tabellas, figuras, seu effigies votivas, præsertim aureas, argenteas (4) aliasque res pretiosas oblatas, quæ vulgo *Vota* nuncupantur.

(4) *Bened. XIV. Not. 11. Vol. IV.*

CAPUT XI.

De Funeribus, et Sepulturis.

I.

Cujusdam pietatis affectus erga defunctos adeo humanis cordibus insitus, infixusque est, ut etiam Gentiles, qui spem non habebant, eo pleni essent, suisque mortuis justa persolvere, solemniterque parentare consueverint. *Et si hæc faciunt*, ait divus Augustinus (1) *qui carnis resurrectionem non credunt, quanto magis debent facere, qui credunt, ut corpori mortuo, sed tamen resurrecturo, et in æternitate mansuro impensum ejusmodi officium sit etiam quodammodo ejusdem fidei testimonium?* Nos equidem fide illustrati in ipsis defunctorum corporibus, licet sensu carentibus, religiosum quoddam, et præclarum spectamus, et reverentia dignum, non solum in futuram intendentes resurrectionis gloriam, qua fore decoranda scimus; sed etiam, quia virtutum instrumenta fuisse intelligimus. *Non contemnenda*, ait idem divus Augustinus (2), *et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum, ac fidelium, quibus, tamquam organis, et vasis ad omnia bona opera sancte usus est Spiritus Sanctus.* Neque ad inanem quamdam ostentationem, vacuamque pompam hæc gerimus; sed quæ pro mortuis impenditur cura, in eorumdem animarum utilitatem fit, ut citius expiatæ in æternæ beatitudinis sinu conquiescant. Quum enim discernere nequeamus, qui ad salutis æternæ portum appulerint, et qui peccatis deturbati, et dejecti pervenire ad illum non potuerint, pro omnibus preces funduntur, et funeris justa solvuntur; quippe irreligiosum est, ut ait divus Ambrosius (3), *diffidere potius, quam sperare de meritis defunctorum, et pœnæ addictos, quam immortalitati debitos, quos dilexeris, æstimare.* Et alia ex parte, ut ait divus Augusti-

(1) Lib. de cura pro Mortuis Cap. XVIII.

(2) Ibid. Cap. III.

(3) Lib. II. de excessu Satyri §. 8.

gustinus (1), *melius supererunt ista eis, quibus nec obsunt, nec prosunt, quam eis deerunt, quibus prosunt.* Tota itaque supremi diei celebritas est humanitatis affectio, charitatis documentum, fidei, et religionis indicium, modo intra certos fines, modumque contineatur.

(1) Lib. cit. Cap. XVIII.

I I.

Quæ igitur ex Ecclesiæ præscripto, et ex Prædecessoribus nostris servanda accepimus in mortuorum funeribus, ea Nos omni accurata ratione adimpleri mandamus. Parochus (2) cognita alicujus ex suis morte, campanæ sonum edi curet, lugubrem quidem, si adultus fuerit, festivum, si parvulus. Ante solis ortum cadaver ne efferatur, nec diu post occasum. Et Parochus cum Clero a parochiali Ecclesia ad defuncti domum procedat, Clero quidem superpelliceo induto cum bireto, et Parocho præterea cum stola ad normam Ritualis romani.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. III. Cap. XII. Et Hieronym. Column. P. II. Cap. XIV.

I I I.

Oborta aliqua controversia de impensis in funere alicujus defuncti faciendis, si sedate, et tranquille transigi res non possit, omni contentione dimissa, Parochus conveniat Vicarium nostrum generalem (3), qui ad justitiæ, et æquitatis, receptæque consuetudinis normam sententiam dicet; si moræ locus non sit, sepultura non retardetur, sed decenti peracto funere, Vicarium ipsum conveniat, qui decernet, quorum intersit, et qui impensas facere debeant.

(3) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

I V.

Meminerint Parochi, se omnium quidem sibi creditorum, sed speciali modo pauperum patres esse, sibi ab Ecclesia, et a Christo singulari affectu commendatorum. Meminerint et illius pauperis Lazari (4), qui licet tot miseriis, et morbis esset conflictatus, ut canibus ludibrio esset, et omnibus despectui; angelorum tamen obsequium, et ministerium, quando decessit,

(4) Luca XVI.

meruit, qui eum in sinu Abrahæ doportaverunt, æternis coronis honestandum. Pauperibus ergo in Christo morientibus Angeli præsto sunt, atque adeo iis detrectare non debent Sacerdotes ministerium, quod Angeli ipsi ambitioso famulatu præstare dignantur. Quamobrem, dum pauper effertur, cui nihil, aut ita parum supersit, ut propriis impensis humari non possit, gratis omnino sepeliatur (1). Dum effertur adsit Parochus, vel alius Sacerdos, et duo saltem lumina, quæ suo sumptu Parochus, vel Ecclesia, vel pia societas præstabunt (2). Nec pœnas evadet Parochus, arbitrio nostro latas, si præ socordia, fastidioque permiserit usque ad Ecclesiam pauperis cadaver ab ejus consangnineis deferri, et nullis recitatis precibus, nec campanæ signo dato, perinde ac si brutum animal esset, tumulari. Quinimo curet (3), ut unum saltem pro eo Sacrificium offeratur: nec prætermittat pro suis defunctis precationes fundere, hortarique plebem suam ad opem ferendam defunctis, præsertim Parochiæ. Si dubium existat (4) de paupertate defuncti, sepultura ne retardetur, et ubi constiterit per simulatam paupertatem debita solutione fraudatum fuisse Parochum, ad ejus instantiam summarie procedemus contra hæredes defuncti.

(1) S. Congreg. Episc. 5. Maii 1617. Et ambæ Syn. nost. ibi.

(2) Bened. XIV. Not. XVI. Vol. II.

(3) Notif. cit.

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

V.

Neganda est sacri funeris pompa, et ecclesiastica sepultura non solum Paganis, Judæis, et omnibus Infidelibus (5), Hæreticis, et eorum fautoribus, et publice excommunicatis majori excommunicatione, et nominatim interdictis; sed publicis etiam peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt, et iis, de quibus publice constat semel in anno non suscepisse Sacramenta confessionis, et communionis in Paschate, et absque ullo signo contritionis obiisse: et iis demum, quos ex non dubiis argumentis publice constat in lethali culpa excessisse. Infantibus quoque mortuis absque Baptismo non conceditur, nisi adhuc in utero matris delitescerent. At in duello

(5) Rit. Rom de Exequiis §. Quib. dari non debet.

duello pereuntibus, non solum ob criminis atrocitatem sepulturæ ecclesiasticæ honor eripitur, si in ipso conflictu diem supremum obeant; sed etiam, si extra conflictus locum, accepto ibi vulnere decesserint, licet ante mortem non incerta dederint pœnitentiæ signa, atque a peccatis, et a censuris absolutionem obtinuerint, sicut Benedictus XIV. præcepit (1).

V I.

In sacri funeris agmine conflando certus ordo servandus est. Regularibus, aut exemptis (2) nullo modo liceat efferre cadavera, non præsente Parocho, aut de ejus consensu, aliter emolumentis fraudabuntur, et arbitrariis pœnis supponentur. Regulares quoque, et quicumque Sacerdotes adsciti, et clerici, et confratres ad cadaveris associationem vocati, ad parochialem Ecclesiam conveniant, deinde ad domum defuncti procedant cum Parocho: ubi accensis luminibus, sacrum agmen instituatur, præcedentibus laicorum confraternitatibus, tum sequatur Clerus regularis, et secularis, binique omnes procedant, prælata Cruce, devote psalmos decantantes, Parocho præcedente feretrum cum luminibus. Inde sequantur alii funus comitantes, et pro defuncto Deum rite deprecantes, donec ad Ecclesiam pervenerint sepulturæ destinatam.

V I I.

Ecclesia porro sepulturæ esse debet parochialis, nisi, qui obiit, habeat gentilitia, et majorum sepulchra, vel nisi ante obitum alium sepulturæ locum delegerit, vel alia de causa alio in loco humari debeat. Est patri facultas eligendi pro filiis impuberibus sepulturam, modo electio fiat, antequam decedant. Uxor in sepulchro viri sui tumulanda est: si pluribus nupsit, in eo viri, cui ultimo nupsit. Noverint autem regulares, et seculares Clerici (3) cujuscumque status, et conditionis existant, sibi vetitum esse, et gravibus etiam indictis pœnis quempiam inducere ad eligendam in suis

(1) *Constit.* Detestabilem 1752.

(2) *S.Congr. Episc.* 12. *Jan.* 1604. *Et ambo Syn. nost. ibid.*

(3) *Cap.* Animarum periculis *de Sepult. in* 6.

in suis Ecclesiis sepulturam, vel ad jam electam, ultra non immutandam voto, seu jurejurando, vel fide interposita. Nec adhibenda erit fides asserenti a defuncto alicujus sepulturæ electionem factam fuisse, nisi testibus confirmetur. Volumus etiam, minime licere (1) cuicumque rectori, seu præsidi Ecclesiæ jus sepulturæ alicui familiæ concedere, Nobis inconsultis, secus interdicti pœna multabitur.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

VIII.

Porro in Diœcesi, si ob viarum incommoditatem, vel longinquitatem consuetum funus duci non possit (2), plaustro, vel alio modo loculus invehatur ad certum locum, ab Ecclesia non valde distantem, et ibi prælata Cruce, sacrum agmen instituatur.

(2) *Amba Synod. nost. laud. ibi.*

IX.

Quum in associandis ad Ecclesiam defunctis plures controversiæ enasci soleant, eæ vel ex receptis, laudatisque consuetudinibus dirimi debent, vel ex latis a legitima potestate definitionibus. Si civis in villam divertat (3), et ibi supremum diem obeat, quotiescumque sepulturam elegerit, mos ei geratur, secus ad sepulchrum majorum suorum, si habeat, transferatur; si non habeat, modo commode fieri possit, ad urbanam Parochiam devehatur: modo tamen ejus villæ distantia tres mille passus non excedat. At majori intervallo dato, ad ruralem Parochiam spectabit, nec urbanus Parochus quidquam sibi vindicare poterit. Eademque ratione decernatur, si quis ex agro in urbem demigraverit, in eaque decesserit. Si autem contingat casus, ut ex agro in urbem, vel ex urbe in agrum comportandum cadaver sit, loculus non plaustro, nisi aliter necessitas suadeat, imponendus est; sed prælata Cruce, et comitantibus Parocho Ecclesiæ, in qua defunctus decessit, et altero Ecclesiæ, ad quam defertur, et duobus aliis Sacerdotibus psalmos simul recitantibus, exportatio fiat. Officii autem erit verbum facere ad eos Pa-

(3) *Bened. XIV. Not. XVII. Vol. V.*

eos Parochos, in quorum ditione peragratio habenda est. Quod si qui morosi fuerint, nostra auctoritate confecta res erit. Sed de funereis juribus, et functionibus observentur, quæ in nostra Institutione de Cadaverum sepulturis in calce Synodi apponenda (1) juxta receptas, probatasque consuetudines, et statuta Prædecessorum nostrorum Benedicti XIV., et Vincentii Card. Malvetii late exposuimus.

(1) *Vid. in Append. Num. VIII.*

X.

Cadavera antequam efferantur, temere ne dissecentur; sed decursis ab obitu viginti quatuor, aut etiam triginta horis, si repentina morte defunctus obierit, et iis annuentibus, ad quos pertinet. Quando vero cadavera deposcantur (2) pro anatomes lectionibus habendis, noster, vel Vicarii nostri consensus exquiratur, qui provide constituemus, quid agendum sit.

(2) *Bened. XIV. Not. XXIII. Vol. III.*

X I.

Defuncti corpus, servatis omnibus verecundiæ legibus curari debet; decentique habitu induendum est. Clerici, et Sacerdotes ad rationem in Rituali romano præscriptam; laici vero, si alicui sodalitio nomen dederunt, et professionem emiserunt, ejusdem habitu decorentur. Etsi vero permittamus laicis defunctis (3), ut aliquo regulari habitu vestiantur; districte tamen prohibemus, ne ad similitudinem alicujus Sancti conformentur.

(3) *Bened. XIV. Not. XVI. Vol. II.*

X I I.

Inlato in Ecclesiam cadavere, exequiæ rite persolvantur. Si præsente cadavere cantanda sit Missa, id officii peraget Parochus, nec sine ministris. Exequiis absolutis, sepulturæ mandandum cadaver; sed cavendum, ne id festinantius, quam par sit, fiat. Qui violento, repentinoque morbo ceciderunt, tumulo ne dentur ante horas triginta (4), aut etiam quadraginta, si ita a peritis judicetur; nisi ex putredine, aliisque indiciis certissime secuta mors deprehendatur. Eadem cautio ad-

(4) *Synod. Boncomp. loc. cit.*

tio adhibenda mulieribus in partu decumbentibus, et iis, qui in aquis præfocati sunt. Dum ii, qui ex acceptis vulneribus, vel ex subito morbo extincti sunt, a forensi ministerio explorantur, secreto, quoad fieri potest, et ad modestiæ leges, et numquam in loco immuni exploratio peragatur, eaque absoluta, omnino cooperiantur, nec sine facultate nostra de loco sacro extrahi possint, sicut nec cadavera sepulchro condita exhumari (1).

XIII.

Si ob insigne alicujus defuncti meritum, de ejusdem laudibus oratio habenda est, Nobis inconsultis id ne fiat, neque etiam in Regularium Ecclesiis (2). Neque quidquam exaggeratius, aut a veritate alienum, aut singularem sanctitatem redolens proferatur; oratio vero ipsa prius Nobis exhibenda est (3).

XIV.

At quod attinet ad sepulchra, optandum sane esset, ut omnes Ecclesiæ Cœmeterium haberent, in quo sub dio mortuorum corpora conderentur, quemadmodum ex veteri disciplina, institutoque fiebat. Tunc enim et aeris salubritati, et Ecclesiæ munditiæ, et decori consultius esset. Sed quia immutata disciplina, locum in Ecclesiis defunctorum corpora jamdiu obtinent, curandum est, ne quidquam loco sancto minus consentaneum obveniat. Absque concessione nostra nova sepulchra ne condantur, neque fieri patiemur, nisi sepulchri aditus tribus cubitis a suppedaneo Altaris, vulgo *Pradella*, distet (4). Si qua sepulchra sub Altari haberentur, ossibus prius erutis, omnino obstruantur. Sint autem infra terram bene defossa sepulchra, parietibus munita, et juncta fornicibus. Sed illud optamus maxime, immo et mandamus, ut sepulchrorum ora duplici obstruantur lapide, et illorum præsertim, in quibus frequenter cadavera infodiuntur, ne graveolentia sacram Ædem inficiat. Distent hi lapides inter se aliquan-

(1) *Synod. Hieronym. Column. loc. cit.*

(2) *Ambr. Syn. nost. laud. ibi.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(4) *Ambr. Synod. nost. laud. ibi.*

aliquantulum; inferior vero lapis, statim ac cadaver inlatum est, diligentissime cœmento obturetur.

X V.

Lapidibus, qui sepulchrorum operculis insident, nullæ insculpantur sacræ imagines, ne incedentium pedibus conculcentur. In Ecclesiis Monialium ne fodiantur sepulchra pro laicis (1), nisi petita a Sacra Congregatione Concilii facultate, modo Ecclesiæ Parochiales non sint. In Ecclesiis autem sepulturæ destinatis quatuor sint separata sepulchra: Sacerdotum, et Clericorum unum: alterum puerorum baptizatorum ante usum rationis decedentium: tertium pro maribus, quartum pro fœminis. Hæ autem Ecclesiæ habeant parvum aliquod cœmeterium, in quod ossa e sepulchris eruta inferantur, sitque muro vallatum, et valvis clave occlusis, et clavem apud se habeat Parochus. In hisce cœmeteriis, sicut et in aliis, quæ in Diœcesi habentur, omnia indecora caveantur: vepres, et spinæ revellantur, sitque in medio erecta Crux. Omnino autem sine facultate nostra sepulchra defunctorum ossibus ne expurgentur.

(1) *Ex Decret. Congreg. Conc. 28. Novemb. 1711. et aliis.*

X V I.

Sed demum æquum est, sacrisque Canonum sanctionibus consentaneum, ut consuetæ oblationes Parocho persolvantur ab hæredibus defunctorum; idque etiamsi in alia Ecclesia exequiæ fiant, ibique cadavera sepeliantur. Hæc autem canonica portio non ad arbitrium fingenda; sed ex legitima, acceptaque consuetudine repetenda est. Quæ tamen non ita pensiculate, et scrupulose exigenda a Parocho est, ut avaritiæ, turpisque quæstus suspicionem præbeat: nec (2) ullum judicium in hujusmodi causis intentetur umquam; sed, ut supra dictum est, res ad Nos, vel Vicarium nostrum deferatur, ut *veritate cognita* (3) *compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.*

(2) *Notif. cit. XVII. Vol. V. ex Cap.* Non satis, *et Cap.* Cum in Ecclesia *de Simon.*

(3) *Cap.* Ad Apostolicam 41. *eod. tit.*

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

De Chori Disciplina, et de Cæremoniarum Præfecto.

I.

NOstra hæc Ecclesia, quasi sponsa varietate circumdata nulla non habet religionis, et pietatis ornamenta, in quibus insignem locum obtinent Collegia, seu Capitula ex Canonicis conflata, a majoribus nostris instituta, et processu temporis aucta, et nobilitata. Nam præter Metropolitanæ Capitulum duo habet alia in Collegiatis Ecclesiis constituta, et alia tria in tribus Collegiatis Diœcesis recensentur, ut qui iis adscripti sunt, tamquam excubiæ ad Urbis, et Diœcesis custodiam appositæ, tota die non cessent laudare nomen Domini. Præstantissimum sane opus, quod nulla satis digna cumulari commendatione potest, ut se tamquam conciliatores inter Deum, et homines interponant, eumque benevolum, et misericordem efficiant. Meminerint ergo illi omnes, qui ad tantum munus se se applicuerunt, debere se omnium virtutum præsidio munitos, et sepios præbere, sicut ceteris honore antecellunt: et quæcumque de honestate Clericorum sunt dicta, ipsos præcipue contingere, et ab ipsis veluti a fulgidis quibusdam luminaribus ecclesiasticæ vi-

cæ vitæ rationem repetendam esse, et eximia sanctitatis exempla haurienda, ut dignitas plus ipsorum virtutibus illustrata videatur, quam ii ipsi a dignitate honestentur. Canonici, si de iis, qui Metropolitanæ nostræ adscripti sunt, loquamur, hoc honore decorantur, ut e muneris sui prærogativa consiliarii nostri (1), et Ecclesiæ Senatus sint dicti (2). Quos proinde Tridentina Synodus adhortans (3) ad absolutam morum disciplinam, ait: *vestitu decenti tam in Ecclesia, quam extra assidue utantur: ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut merito Ecclesiæ Senatus dici possint*. Ad quem honorem propius accedunt ceteri aliarum Ecclesiarum Canonici, a quibus eadem laudatissima vitæ ratio requiritur, si honori suo velificari velint. At ea habemus de omnibus, et de singulis documenta, ut nonnisi optima ab ipsis expectare debeamus, magnam Nobis allatura lætitiam.

(1) *Bened. XIV. Lib. XIII. de Syn. Diœces. Cap. I. §. 5.*

(2) *Synod. Trident. Sess. XXIV. Cap. XII. de Reform.*

(3) *Ibidem.*

II.

Equidem Canonici, et Mansionarii, ceterique choro addicti, facilius virtutes omnes comites, et ministras habebunt, si, quod præcipuum sui muneris est, Dei scilicet laudes decantare, omni devotionis affectu, summaque diligentia prosequantur. Deo enim laudes devote persolvere bona innumerabilia conciliat, ut docet divus Joannes Chrysostomus (4), dicens: *mentem enim a terra abducit, animumque erigit, et in altum evehit, levemque, et sublimem efficit*. Et divus Basilius Magnus ait (5): *psalmus tranquillitas est animarum, pacis arbiter, tumultuosas, turbulentasque cogitationes compescit ..... bonorum maximum charitatem conciliat ..... psalmus incipientibus initium est, incrementum proficientibus, perfectis firmamentum*. Tanta igitur affluent Dei laudes in Ecclesia concinentes bonorum spiritualium abundantia, modo in tam religiosa actione fervoris, et pietatis ignis exardescat. Quod

(4) *In Psal. CXLVI.*

(5) *In Psal. I.*

quum in epistola nostra pastorali (1) inculcatum fuerit, hic quoque admonere non prætermittimus.

(1) Vid. in Append. Num. II. Lib. II.

III.

Parum enim prodesset, voce bene composita, et exercitata conclamare; corde verò arido, et mundanis affectionibus implicito, et obruto a Deo longe abesse, atque in solo vocis strepitu rem totam collocare. Dolebat divus Bernardus (2) de iis, qui in Angelorum conspectu versantes desidiose psallerent: *vereor*, ait, *ne Angeli vestram desidiam quandoque abominantes cum indignatione recedant, et incipiat unusquisque vestrum sero cum gemitu dicere Deo* (3): *longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi; pro certo enim, si se a nobis boni spiritus elongaverint, impetus malignantium quis sustinebit? Dico ergo his, qui ejusmodi sunt: maledictus* (4), *qui opus Dei facit negligenter. Eapropter attendite principes vestros, quum statis ad orandum, vel psallendum, et state cum reverentia, et disciplina, et gloriamini, quia Angeli vestri quotidie vident faciem Patris*. Atque hoc illud ipsum est, quod multa sanxere Concilia, legesque ecclesiasticæ, ut divinæ laudes magno pietatis studio, gravitate, et placida modulatione decantentur: unde etiam Tridentina Synodus (5) præcipit in choro ad psallendum instituto hymnis, et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. Et Benedictus XIV. de chori disciplina vehementer incensus, copiosam, et valde salutarem institutionem hac de re edidit (6), et affert Clementis XI. gravissima verba (7) ad Episcopos Italiæ, et Insularum adjacentium, quibus iisdem jubet, ut plurimum commendent Canonicis, Beneficiariis, Mansionariis, Capellanis, Clericis, aliisque choro inservientibus tum in ipsa Cathedrali, tum in Collegiatis Diœcesis gravissimum onus, quod illis præscribitur, dum in chorum conveniunt, nempe ut modestiam, et silentium decenter in eo loco præseferant, quemadmodum

(2) Sermon. VII. in Cantica.

(3) Psalm. LXXXVII. v. 9.

(4) Jerem. XLVIII. v. 10.

(5) Sess. XXIV. Cap. XII. de Reform.

(6) Notif. XIX. Vol. V.

(7) Encycl. ann. 1703.

dum

dum illos decet maxime, qui ante conspectum Majestatis divinæ versantur, ut psallant magno pietatis studio, vocibus apte comparatis, haud festinanter, nullisque præcisis vocabulis, ita ut pars chori haud canere incipiat, quum pars altera cantum nondum absolvit, ut hac ratione populus intelligat divinas laudes, et ad pietatem, ac religionem ex ipsorum cantu moveatur.

I V.

Quamobrem qui hoc tam præstabili munere funguntur, si ei deesse nolunt, primo debent, tempore et hora constitutis (1), choro diligenter interesse: sed ibi tamquam muta simulacra consistere, nec ad cantum ibi adhibitum vocem inflectere, perinde est atque a choro abesse. Et Canonici, et alii quicumque (2), voce, et cantu minime psallentes, graviter peccant, nec ex distributionibus fructus facere possunt, et restitutioni faciendæ sunt obnoxii. Etsi vero Missam celebrantes ad Ecclesiæ commodum e choro evocati præsentes censeri possint, nec distributionibus priventur; tamen ex condicto cum sacrarii Præfecto, et ad sui commodum id facere, absentiam pro eo tempore a choro a fraude immunem non reddit (3): de qua re uniuscujusque conscientiam oneramus. Neque a choro feriari licet ultra fines a Synodo Tridentina præstitutos, etsi distributionibus ex animo cederent: minus enim conscientiæ consulerent, et nostras animadversiones minime declinarent (4). Præterea licet choro addicti diebus, et mensibus a Tridentina Synodo permissis præsentiam a choro licite subducere possint; tamen id cavendum, ne ultra tertiam partem absint umquam (5) sive Canonici, sive Pensionarii, neve tempore Adventus, et Quadragesimæ, neque in amplioribus anni festivitatibus. Illud quoque advertant (6), se extra Diœcesim mensibus, et temporibus etiam permissis divertere non posse, non petita, obtentaque a Nobis facultate, quam tamen,

(1) *Bened. XIV. Notif. laud. §. 4. et 14.*

(2) *S. Pius V. Constit. XXXV. ann. 1571.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp Lib. IV. cap. I. ex decr. S. C. Conc. Vid. cit. Notif XIX. § 10.*

(4) *Synod. ead. ibi.*

(5) *S. C. Conc. ann. 163.. 12. Julii, et alias.*

(6) *Ead. S. C. 9. Maii 1626. Not. cit. §. 6.*

tamen, justa causa postulante, non denegabimus. Ceterum quum quælibet Capitula nostra suas habeant constitutiones legitime adprobatas, iis servandis diligenter insistant, videantque illi, ad quos spectat, ne umquam dilabantur, et obsolescant.

V.

At Punctatores tamquam fideles spectatores constituti studium navare debent, ut perfecta chori disciplina retineatur, neve justitiæ leges quoquo modo violentur, a qua si ipsi defecerint, sibi onus incumbet (1) faciendæ restitutionis. Absentes itaque citra legitimam causam accurate describant: in quorum numero locandi et illi sunt (2), qui licet in choro, collocutionibus tamen, vel libris, aut epistolis legendis, jocisque vacaverint, quive somno, risui, et inanibus indulserint. Quicumque etiam dilapsus a choro horarum tempora alienis agendis tribuerit, quamvis in habitu sit, distributionum expers, et absens censendus est, quarum nec erit particeps, qui tali tempore aut missam celebret commodo suo, ut supra dictum est, aut confessiones fidelium excipiat. Id enim solius Canonici Pœnitentiarii proprium est (3), ut dans operam confessionibus præsens habeatur. Noverint vero Punctatores, non privari distributionibus eos, quos ob infirmitatem abesse a choro sibi legitime constiterit, neque Canonicos, qui Nobis in quacumque Ecclesia pontificalia celebrantibus inserviant: immo neque eos, qui certis per annum diebus in ædem regularem secesserint (4), ut spiritualibus exercitationibus se dedant, obtenta prius a Nobis facultate.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

(2) *Synod. ead. ibi. et cit. Notif. XIX. §. 5.*

(3) *Synod. Trid. Sess. XXIV. Cap. VIII. de Reform.*

(4) *Encycl. Clement. XI.*

VI.

Præcipimus vero ex tenore Constitutionis Benedicti XIV. (5), ut Missa, quæ conventualis dicitur, quæque singulis diebus canitur in nostra Metropolitana, et in Collegiatis Ecclesiis, pro earumdem benefactoribus in genere applicetur. Quum vero in rubricis gene-

(5) Cum semper *ann. 1744. Vid. etiam cit. Notif. XIX. §. 2. et 12.*

generalibus, quarum accuratam observantiam inculcamus, præcipiatur, ut non solum una conventualis Missa canatur, sed certis diebus duæ, aut etiam tres, quo ad hanc secundam, et tertiam conventualem Missam, ejusdem sapientissimi Pontificis tenenda præscriptio est; scilicet ut, ubi vigeat consuetudo, quod secunda hæc, et tertia Missa applicetur in genere pro benefactoribus, nulli alteri applicetur; idque ex præcepto servandum: *ubi vero*, ait, *id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ, tertiaque Missæ conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis, Ecclesiæ benefactorum in genere non obliviscantur*.

V I I.

Porro quum sancta Tridentina Synodus (1), ne cœlestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, et ut illius explanatione fideles in rerum divinarum notitia excolantur, et proficiant, decreverit ut in Cathedralibus, et in Collegiatis Ecclesiis insignium oppidorum theologus Canonicus constituatur, qui certis diebus sacræ Scripturæ latices aperiat, eamque dilucide exponat, ut id religiose servetur sive in Metropolitana nostra, sive in aliis Collegiatis omnino mandamus. Itaque Canonicus theologus instructus, paratusque constitutis diebus accedat, et aliquem Scripturæ locum nitide, et breviter edisserat, quæstionibus facilioribus extricatis, sed spinosioribus, et ad captum, et ad profectum animarum minus accommodatis, prætermissis: eumdemque ad moralem sensum traducat, ut audientes fructus uberiores percipiant. Hortamur autem omnes, ut hisce sacris lectionibus intersint; præsertim vero Sacerdotes, et Confessarios, quos maxime decet in sacræ Scripturæ intelligentia esse versatos: et ii maxime Sacerdotes semper adesse curent, qui ad Collegiatas Ecclesias pertinent. Nam Clerici, qui ad Ordines progredi volunt, multo

(1) *Sess. V. Cap. I. de Reform.*

multo magis abesse non debent. Quum vero nostræ Metropolitanæ Clerus ceteris dignitate præcellat, ceteros facile ad audiendum frequentiores præclaro suo exemplo faciet, ampliorque fiet sacrarum lectionum fructus. Quibus autem diebus Canonicus theologus lectiones habuerit (1), etsi a choro abfuerit, tamquam præsens distributionem percipiet.

(1) S. Cong. Conc. 1589. et 1622. Vid. cit. Notif. 6. 9.

VIII.

Illa vero omnia, quæ de bonis Ecclesiæ recte administrandis, deque Capituli conventibus libro tertio diximus, accurate a Canonicis observanda sunt: idcirco, ut prædia, atque ædes utilius conserventur, et tempestive reficiantur, singulis annis ex Capituli decreto duo eligantur Canonici, qui visitent, et cognoscant, quid instaurandum, quid instituendum sit. Sed et Camerarius, aliique Officiales fideliter suis muneribus perfungantur, nec iis liceat ad sumptus extraordinarios devenire, nisi Capitulo suffragante.

IX.

Nullus dubitandi locus relinquitur, quin si sacri ritus, statutæque cæremoniæ recte peragantur, divinus inde cultus mirum in modum amplificetur, fidelesque ex earumdem majestate, et decore non leviter ad pietatem inflammentur: idcirco ut sacræ functiones ea dignitate fiant, qua debent, ne dum in nostra Metropolitana, sed et in qualibet Ecclesia Collegiata deligendus est cæremoniarum Magister, sacrorum rituum peritissimus, qui omni solertia, et gravitate sacrarum rerum dignitatem tueatur. Ejus partes erunt (2) Nos præmonere de peragendis in majoribus solemnitatibus, tum designare Ministros, et alumnos Seminarii erudire, aliosque Clericos, qui in publica, et solemni actione deservire debeant, neminemque permittere, se in sacras functiones inferre, qui omnino informatus non sit. Satagat quicumque cæremoniarum Præfectus, ut omnia decore, et ordinate fiant, et ut feria quinta majo-

(2) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

majoris hebdomadæ omnes Canonici, Mansionarii, Capellani, et Sacerdotes, et Clerici Metropolitanæ, et aliis Collegiatis Ecclesiis addicti, sacram Eucharistiam percipiant (1), qui proinde antea monendi erunt, ut parati accedant. Quin et alii Sacerdotes, et Clerici ad suas Parochias se conferant divino cibo reficiendi a suis Parochis. Curet quoque (2), ut tum Canonici, tum Doctores, et alii Sacerdotes sacra facturi annulum deponant, licet inter Protonotarios non participantes computentur: atque ut Vicario generali in Metropolitana celebranti, quatuor non ardeant lumina, nec duos in Ministerio Sacerdotes habeat, nec eidem, aut alteri, quacumque dignitate insignito, liceat paramenta sumere de altari, cum id solis competat Episcopis. Nec negligat, eum in Cathedrali, et Collegiatis servari ordinem, ut Canonici coadjutores sedeant post Canonicos omnes: atque (4) ut solemniter celebranti Canonico alii duo Canonici adsistant. Denique det operam, ne Abbates regulares fines transiliant; sed ut decreta (5) servent Congregationis Rituum ab Alexandro VII. approbata, et confirmata. Quod si in harum rerum observationem non intenderit, et abusus obrepentes impedire non curaverit (6), ab ipso Præfecto rationem exigemus, pœnas arbitrio nostro daturo.

(1) *Caerem. Episc. Lib. II. Cap. XXIII. S. Cong. Rit. 27. Septem. 1608.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid. Et Decret. Cong. Rit.*

(4) *Sacra Congr. 20. Apr. 1641.*

(5) *27. Septemb. 1659. et 20. Julii 1660.*

(6) *Synod. Boncomp. ibid.*

CAPUT II.

De Seminariis Clericorum.

I.

Divus Basilius magnus, tanta doctrina vir, tantaque auctoritate, et sanctitate Episcopus, adolescentes (7) ad litterarum studia non minus, quam ad pietatis cultum adhortans, profitebatur, se cum illis

(7) *In Lib. ad Adolescentes.*

tanta sanctæ affectionis necessitudine conjungi, ut non minori eos benevolentia prosequeretur, quam ipsi parentes, a quibus geniti, educatique fuissent. Nos equidem, etsi divo Basilio comparandi non simus; tamen pastorali sollicitudine affecti, et incitati adfirmare possumus, in omnes adolescentes curæ nostræ demandatos ita animatos esse, ut eosdem pari charitatis studio, perinde ac parentes prosequamur, quod ex recta ipsorum educatione omne Reipublicæ, et Ecclesiæ bonum proficisci, et expectari debeat. At vero illos adolescentes, quos in ædes Seminarii nostri excepimus, et ad Ecclesiæ nostræ præstantiam, et splendorem delegimus, tamquam primogenitos, et longe cariores habemus.

Inflammant Nos in hoc studium sanctæ Tridentinæ Synodi voces (1), quæ inter potissima ad ecclesiasticam disciplinam instaurandam remedia, hoc potissimum de Seminarii erectione existimavit. Excitant et præclara nostrorum Prædecessorum hac de re statuta, sedulitatis plena, et sapientiæ, Cardinalis Gabrielis Palæotti (2), Cardinalis Hieronymi Columnæ (3), et Cardinalis Jacobi Boncompagni (4). Nam Benedictum XIV. hæc cogitatio de Seminariis bene componendis adeo detinebat, ut vix ad Apostolicam Petri Sedem evectus, constitutione sua (5) ad Episcopos universos, iisdem commendaverit, et inculcaverit, ut adolescentium Clericorum Seminaria singulari sollicitudine foverent, et quam diligenter ad Ecclesiæ utilitatem institui facerent: *boni namque*, ait, *et strenui operarii non nascuntur, sed fiunt: ut autem fiant, ad Episcoporum solertiam, industriamque maxime pertinet*. His ergo vocibus, et exemplis provocati, et confirmati, nihil est, quod vehementius optemus, nihil, quod solertius requiramus, quam, ut adolescentes tam bene excultos, et exercitatos videamus, ut spem faciant, uberes fructus suo tempore efferendi.

(1) *Sess. XXIII. Cap. XVIII. de Reform.*

(2) *Archiepiscop. Bonon. P. IV. et V.*

(3) *Synod. P. III. Cap. IV.*

(4) *Lib. IV. Synod. Cap. II.*

(5) *Quæ incipit:* Ubi primum *anno* 1740.

II.

II.

Vos igitur estis lecta illa germina, et novellæ plantationes in juventute sua, quæ nostris laboribus, et curis irrigatæ, tamquam arbusculæ secus decursus aquarum satæ, sensim adolescentes fructum dabitis in tempore suo, quem Ecclesia jure quodam suo a vobis repetit. Omnia enim ad profectum vestrum disposita sunt: Moderatorum vigilantia, tot Magistrorum doctrina, et industria, Contubernalium exempla, totius Contubernii quies, et ordo, et ad omnem virtutem exercendam conformatio. Ætas vestra peropportuna est, quæ sicut verni temporis suavitas messis ubertati prævertit: ver enim tamquam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros: ita reliqua tempora demetendis fructibus, et percipiendis accommodata sunt. Sed in spem nullam de vobis venire possumus, nisi nunc toto pectore ad proficiendum incumbatis. Quantum igitur animo conniti potestis, quantum labore contendere, tantum facite, ut efficiatis; neque committite, ut quum omnia suppeditata sint a Nobis, vos vobis ipsis defuisse videamini: *turpe est enim*, vos ita alloquitur divus Basilius (1) *tempus præsens amittere, et elapsum postea revocare, cum nullum amplius dabitur dolentibus.* Turpissimum autem esset, vos ad quasi mercaturam bonarum artium, et virtutum ingressos, inanes redire, dedecorantes Urbis auctoritatem, et Magistrorum, et Ecclesiæ expectationem fallentes.

(1) *Lib. cit.*

III.

Quæ porro ineuntis adolescentiæ sunt optima, eadem ipsa in reliquum vitæ spatium redundabunt: et quæ, ubi de Ordine, et de Clericorum honestate disserebamus, ediximus, ea sunt ipsa, quæ vos singillatim notant, afficiuntque in præsentia; et deinde erunt adultæ, maturæque ætatis ornamenta, et præsidia. Hæ sunt vestri exercitationes ingenii, hæc curricula mentis, hæc probæ voluntatis proposita. Sic litteris appli-

cate animum, ut quoquo die novum aliquid addiscatis. Quod singulis diebus audieritis, et didiceritis, commemorate vobiscum vesperi, et in memoriæ quasi thesauro condite, et conservate: memoriam vero perpetuo exercere ne pigeat: latinam linguam quam diligentissime excolite. Ita enim sensim sine sensu, ætate progrediente, scientiæ quidam habitus acquiritur, et roboratur: *qui enim ex quacumque re*, ait divus Basilius (1), *diligenter utilitatem colligunt, iis, quasi fluminibus solent undecunque fieri accessiones multæ*. Quod consilii dabat idem divus Basilius (2) adolescentibus, ut se compararent ad res divinas intelligendas, poetis, historicis, et rhetoribus operam dando, atque ex illis, quæ utiliora sint, excerpendo, id a vobis fieri optamus, et volumus. Nam et Moyses (3) in disciplinis Ægyptiorum alte exercitatus, ad ejus, *qui est*, contemplationem devenit: et Daniel (4) Babylone Chaldæorum sapientiam edoctus, ad sacras doctrinas contendit. Quum litteræ omnes, scientiæque cognatione quadam inter se contineantur, litteræ humaniores, externæque scientiæ ad sacras perdiscendas multum conferent adjumenti, atque adeo in illis profecisse non pœnitebit.

I V.

Sed litteræ, scientiæque morum probitate cumulandæ sunt, quæ si desideretur, nullum fere e litteris emolumentum percipiet Ecclesia. Itaque ut in reliquos Clericos intuentes laici, in iis, quasi in speculo bene vivendi exempla inspicere debent; ita in vos attendentes ceteri Clerici, ecclesiasticam gravitatem, et sanctimoniam, castigatamque vivendi rationem haurire debent. Ii adolescentes Clerici, in quibus senile aliquid sit, maxime probantur. Morum integritas, modestia, obedientia quam expeditissima, totius corporis compositio in vobis resplendeat. Regulas vero bene vivendi vobis traditas diligentissime servate: et ne earumdem notitia excidat (5), singulis mensibus pars aliqua ipsarum

(1) *Ibidem.*
(2) *Lib. cit.*
(3) *Actor. VII. 22.*
(4) *Daniel. I.*
(5) *Synod. Boncomp. loc. cit.*

rum publice perlegatur, vestro Præside præsente, qui earumdem observantiam inculcabit, redarguetque inobedientes. Ceterum, carissimi Filii, ejusdem divi Basilii verbis (1) vos admonemus, qui de Biante philosopho refert, quum ejus filius ad Ægyptios proficiscens ab ipso percontaretur, quidnam agendo rem ei gratissimam facturus esset, respondisse: *si viaticum paraveris tibi ad senectutem*, virtutem scilicet viaticum appellans. Vos igitur eodem modo nihil gratius, nihil jucundius Nobis præstare potestis, quam ut tam opportuno tempore de vobis spem optimam concitantes, eximiam institutionem pro reliquo vitæ tempore, quasi copiosum quemdam commeatum vobis provideatis.

(1) *Ibidem.*

V.

Quod ad Nos attinet, non exiguam partem curarum nostrarum rectæ huic administrationi impertiemus. Eos solos alumnos admittemus, quorum indoles (2), et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros: nec alios tamen excludemus, modo suo sumptu alantur, et studium præseferant Deo, et Ecclesiæ inserviendi. Qui inter alumnos cooptabuntur (3), data fideijussione excipientur, ut, si ab ecclesiastica militia deficiant, ipsorum sustentatio Ecclesiæ detrimento non sit; fidei autem jussio non a parentibus, nec a consanguineis, sed ab extraneis exhibenda est. At Contubernii Moderator, ut primum aliquem viderit a clericali militia abhorrentem, Nos certiores faciat, ne nimia cunctatione fideijussores plus æquo graventur. Si qui autem contumacius se gesserint (4), obedire detrectaverint, Superiorum auctoritatem contempserint, vel fuerint malorum morum seminatores, vel dissidiorum altores, acriter punientur: et quando nullam emendationis spem faciant, expellentur.

(2) *Synod. Trident. loc. cit. Et Amba Syn. nost. ibid.*

(3) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

V I.

Præcipuam autem curam nostram impendemus, ut morum

morum disciplina juxta Tridentinæ Synodi præscripta quam accuratissime servetur (1), et omnia removeantur, quæ pietati nocumento esse possint. A colloquiis cum ceteris (2), qui de Seminario non fuerint, hi adolescentes se contineant, præsertim quum in Ecclesia divinis vacant, in qua ad omnem modestiam compositi ecclesiasticæ disciplinæ normam in toto corporis habitu præferant: talari veste, et violacei coloris semper utantur (3): consuetam etiam Clericorum coronam in capite gestent cum bireto, et mundo superpelliceo ad ecclesiasticas functiones accedant, fucata tamen, et seculari levitate remota. Ne sacræ actiones indecore peragantur, cæremoniis Ecclesiasticis prius bene imbuantur: atque adeo singulis hebdomadis, quando feriæ studiorum habentur, a singularum classium Præfectis in sacris cæremoniis, et ritibus erudiantur: et singulis saltem mensibus Præfectus cæremoniarum nostræ Metropolitanæ, in Seminarium deveniens, hoc docendi munere perfungatur, præsertim si singularis aliqua functio obeunda sit. Præterea et in cantu, qui gregorianus dicitur, in computo Ecclesiastico, et in arte bene scribendi a deputatis Magistris diligenter instituantur.

(1) *Ibidem.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(3) *Ambæ Syn. nost. ibid.*

VII.

Ut in litteris studiosius, et fructuosius versentur hi nostri adolescentes, pro ætate, et profectu in varias classes dividentur: ad exitum anni scholastici coram Nobis, et deputatis progressionis factæ specimen dabunt: solertibus, et strenuis præmia decernemus: tardos, et segnes corripiemus. Opportunæ etiam repetitiones fiant, et acuendo ingenio, et provocandæ sedulitati cum privatæ, tum publicæ disputationes habeantur. E tota autem Civitate præstantissimos Doctores delegimus, et quando opus fuerit, deligemus: quos confidimus nostris desideriis, nostræque expectationi minime defuturos. Hæc autem, quæ de hoc Bononiæ Seminario diximus, et constituimus, accipi volumus

etiam

etiam pro eo, quod in Civitate Centi, approbante Clemente XIV., condidit fel. record. Vincentius Cardinalis Malvetius prædecessor noster.

CAPUT III.

De Regularibus.

I.

Regulares viri, ut aliis multis, sic hac lege præcipue obstringuntur, ut, quibus rebus possint, iis opem ferant, et inserviant, qui clavum, et gubernacula tenent Ecclesiarum. *Hæc audiant et Monachi omnes*, inquiebat olim, rem hanc tractans disertissima oratione, divus Joannes Chrysostomus (1), *qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus seipsos mundo crucifixerunt, ut pro viribus Ecclesiarum Præfectos adjuvent, et incitent precibus, concordia, charitate, scientes, quod nisi omnibus modis opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes, præcipuum ipsorum institutum peribit, et tota destruetur sapientia.* Si tantam deposcebat vir ille sanctissimus industriam, et alacritatem in Episcoporum laboribus adjuvandis ab iis ipsis, qui in montium fastigia abscesserant, et procul a turbis civitatum consederant, qualem demum ab iis requiret, qui in urbium frequentia versantur, et hac quidem conditione, ut Ecclesiarum utilitatibus deserviant? Meminisse enim debent, ex regularibus familiis pie institutis, et recte administratis permultum splendoris in Dei Ecclesiam, atque utilitatis manare, quemadmodum a Tridentina Synodo est dictum (2): nullum autem ex ipsis Ecclesiæ accederet decus, nullumque emolumentum, nisi iis firmi-

(1) *Homil. de Sancto Philogonio.*

(2) *Sess. XXV. Cap. I. de Regul. et Monial.*

firmiter adhærescerent, qui ipsius Ecclesiæ gubernacula tractant, et in ejus commodum omne tempus diurnum, et nocturnum impendunt. Neque vero summi Pontifices tot favoribus, et privilegiis, et beneficiis regulares domos ornarunt, nisi ut omnia sua studia, et labores in animarum salutem, et in eorum subsidium, qui a Spiritu Sancto constituti sunt regere Ecclesiam Dei, conferrent. Itaque non eos lateant Constitutiones eorumdem Pontificum (1), quæ Episcoporum obsequium, et in rebus pluribus subjectionem iisdem præcipiunt.

(1) *Constit. Gregor. XV. qua incipit.* Inscrutabili, *et alia plures.*

II.

Nos porro minime dubitamus, muneri suo non defuturos: quin et ex iis, quæ gesserunt, et sedulo gerunt, edocti, certi sumus, Nobiscum semper esse consensuros, et quæ sancivimus, et imposterum, si opus sit, sanciemus, adprobaturos, et curaturos etiam, ut ab aliis reverenter excipiantur, et executioni demandentur. A Nobis equidem summa in ipsos studia, et officia expectare possunt, nec ipsorum opinionem fallemus. Sed et ipsi, quantum doctrina, et sedulitate, et industria, et laboribus valent, eos se semper præstare debent, quos jam cognovimus, ut navem hanc Nobis commissam, scopulos prætervecti, tutius, et tranquillius, ipsis auxiliantibus, gubernemus.

III.

Sunt tamen et plura, huc illucque per hanc Synodum nostram interjecta, quæ accuratam observantiam ab ipsis requirunt, ut quæ diximus de verbi Dei prædicatione, de Sacramentorum administratione, de publica sanctissimæ Eucharistiæ expositione, de processionibus, de reliquiis, de indulgentiis, de funeribus, deque aliis quampluribus, in quibus servandis, si exemplo præeant, quod facturos certo scimus, alios in ceterarum legum custodiam, religiosamque observationem inducent. Meminerint etiam Regulares, se quidem a menstruis casuum conscientiæ conventibus in nostra Metropo-

tropolitana frequentatis, modo curæ animarum præfecti non sunt, immunes esse: attamen debere ad lectionem sacræ Scripturæ, ex Concilii Tridentini decreto (1), et ad conscientiæ casuum explicationem juxta decretum Clementis VIII. (2) in suis domibus habendam convenire; eaque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam se se exercere: qua de re videatur etiam Encyclica (3) Sacræ Congregationis super regulari disciplina, a Benedicto XIV. approbata, et ejus Bullario ad calcem Tomi IV. inserta.

(1) *Sess. V. Cap. I. de Reform.*

(2) *Const. Nullus omnino.*

(3) *Vid. in Append. Num. I.*

I V.

Nec prætermittimus Regulares omnes ad insigne christianæ pietatis opus impense adhortari, quod et gloriosissimus prædecessor noster Benedictus XIV. olim præstitit (4), scilicet ut in qualibet regulari domo aliqui deligantur idonei, et pleni charitatis, qui statis diebus ad aliquod publicum Civitatis valetudinarium se conferant: qui infirmorum ordines perlustrent, singulos infirmos benigne alloquantur, ut ex ipsis conjiciant, an probe calleant, quæ ad immortalem vitam necessaria sunt: eosdem, si res exigat, paucis instruant, ad eliciendos fidei, spei, et charitatis actus incitent, ad perfectum criminum dolorem hortentur, et etiam rite dispositos, volentesque pœnitentiæ Sacramento expient, nihilque omittant, quod illis levamini, salutarique remedio esse possit. Id autem erit sibi ipsis fructuosum, aliis exemplo, infirmis adjumento, Nobisque solatio.

(4) *Notif. XXII. Vol. III.*

V.

Illud posttemo monendum censemus, quod perspectum, exploratumque Regularibus esse non dubitamus, se quoque Episcoporum jurisdictioni, correctioni, ac visitationi subjici, si a numero deficiant a Constitutionibus Apostolicis præscripto (5). Nos a summo jure consectando alieni sumus; attamen, si res postulabit, exigetque utilitas Ecclesiæ, potestate Nobis facta utemur.

(5) *Innocent. X. Constit. Instaurandæ, et Decret. Ut in parvis.*

V I.

Ceterum Regulares omnes hortamur in proposito cordis permanere in Domino, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei, ut digne ambulent vocatione, qua vocati sunt. Ante omnia autem in Domino obsecramus, ut ambulent in domo Dei Nobiscum cum consensu, unanimes, idipsum sentientes, eamdemque consensionem cum Parochis, ceterisque ecclesiasticis retinentes, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, ut nulla sint schismata, nullæque dissensiones. Nihil discordia crudelius, nihil calamitosius, quæ totum charitatis bonum pessundat, et perdit: nihil concordia salutarius: ut per hanc res parvæ crescunt, sic per illam magnæ dilabuntur. Sed ipsorum confisi virtute, nihil est, quod hac in re timeamus, quin et optima quæque de ipsis speramus.

CAPUT IV.

De Monialibus.

I.

NUnc Nobis ad Virgines Deo sacras sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major et cura est, ut cum divo Cypriano exordiri possimus (1), qui et ait: *Hæ sunt ecclesiastici germinis flores, decus, atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis, et honoris opus integrum, atque incorruptum: Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi... Ad has loquimur, has adhortamur affectione potius, quam potestate.* Equidem Ecclesiæ nostræ hæc singularis laus est, quod fere prima sacrarum Virginum contubernia, quæ in occidentali Ecclesia sunt instituta, in hac Civitate nostra sint condita. Nam licet vel ab apostolicis temporibus puellæ quamplures Christo suam

(1) *Lib. de Habitu Virg.*

vove-

voverent virginitatem; hæ tamen propter illorum temporum acerbitatem in paterna domo continebantur; at seculo quarto persecutionum procellis jam defuncta Ecclesia, et ad tranquillitatem deducta, illæ ipsæ Hominis Dei sponsæ consociari invicem cœperunt, et in Monasteriis degere, ut perfectius, et tutius integritatem tuerentur, et uni Deo deservirent e mundi tumultibus avulsæ.

Hujus autem tam sancti, utilisque instituti inter Italos propagator, et auctor fuit divus Ambrosius (1): Illud quippe non modo in Diœcesi propria admissum totis viribus fovit, atque auxit; verum etiam per vicinas provincias, et trans maria quoque usque in Africam, et Mauritaniam amplificavit. Sanctus vero Eusebius Prædecessor noster longe celeberrimus vel exemplo divo Ambrosio præivit, vel eum ex primis secutus est. Ipse enim sanctus Doctor (2) Eusebium Ecclesiæ Bononiensis piscatorem appellat, quod scilicet Virgines, quasi pretiosas margaritas ex amaris seculi gurgitibus eductas congregaret: et alio loco (3) describens quo vitæ genere Bononienses virgines, Eusebio duce, uterentur, summis ipsas laudibus effert, inquiens: *quid de Bononiensibus Virginibus loquar, facundo pudoris agmine, quæ mundanis se deliciis abdicantes, sacrarium virginitatis incolunt? sine contubernali sexu, contubernali pudore provectæ ad vicenarium numerum, et centenarium fructum, relictoque parentum hospitio, tendunt in tabernaculis Christi indefessæ milites castitatis.* Atque hæc Virginitatis domicilia temporum progressu ita sunt amplificata, et aucta, ut ad regularem disciplinam conformata quam florentissima semper fuerint, sacrasque Virgines sanctitate admirabiles, et omni genere laudis præstantissimas extulerint. In hos hortulos conclusos intuentes, ab Eusebio satos, a reliquis Prædecessoribus nostris assiduis laboribus irrigatos, ut summa voluptate perfundimur; ita florentes, et illibatos pervigili custodia

(1) PP. Maurini Præf. in Lib. de Virginib.

(2) In Lib. de Virginitate Cap. XX.

(3) Lib. I. de Virginibus, Cap. X.

stodia servare contendimus, et studio inflammamur Virgines castas exhibendi Christo. Quæ sapienter hac in re Prædecessores nostri sanxere (1), nosque ipsi, peracta visitatione, indiximus, in memoriam revocari, servarique volumus, ne vel minimum de spatio, curriculoque deflectat a Majoribus nostris statuta disciplina.

II.

Et primo Moniales perpetuo meminisse debent, se eo consilio a mundanis rebus abdicasse, ut totas se Deo sacrarent, et Christo dexteram dedisse, ut illum solum spirarent, cogitarent, diligerent, et cœlestem quamdam vitam agerent in terris ab omni corporis contagione sejunctæ. Agnoscant ergo dignitatem suam, quæ divinum quoddam habet, quum Hominis Dei sponsæ evaserint, atque adeo *Dominæ* vocari debeant, ut ait divus Hieronymus (2), utpote Domini sponsæ. Par autem est sponsas sponso assimilari; Christus autem Virgo (3), Virginis filius, et Virginum sponsus. Nihil itaque a sacra Virgine plus requiritur, quam diligentissima virginitatis custodia, ut sit sancta corpore, et spiritu; quæ quanto pretiosior, eo plus obnoxia periculis est, et latronum insidiis: *onusta incedis auro, latro tibi vitandus est*, ita alloquebatur Eustochium virginem divus Hieronymus (4). Facile deperit virginitas, nisi oculo insomni, et corde adamantino custodiatur: *perit ergo et mente virginitas*, ait idem Hieronymus: (5) *istæ sunt virgines malæ, virgines carne, non spiritu: virgines stultæ, quæ oleum non habentes, excluduntur a sponso*. Caveant igitur quam diligentissime ab omni turpi cogitatione, et quævis mala affectio in suo exordio intercipiatur, et elidatur: parva extinguatur scintilla, ne magnum excitet incendium. Curiositatem cohibeant, neque ad eam explendam in ea Monasterii loca se conferant, unde in vias publicas, vel in domos laicorum sit despectus: *nolo te frequenter videre, quod contemnens, virgo esse voluisti*, ut monet idem Hiero-

(1) Card. Palaott. Archiepiscop. Bonon. P. IV. in Conc. I. Provinc. Synod. Hieronym. Colum. P. III. Cap. VIII. Et Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. IV.

(2) Epist. XXII. §. 2. Edit. Vallars.

(3) D. Bernard Serm. XXVIII. in Cant.

(4) Loc. cit. §. 3.

(5) Ibid. §. 4.

Hieronymus (1). Verbum minus pudicum nec audiant ipsæ, nec dicant: de aliena pulcritudine numquam disserant. Oderint libros (2) scænica, et fabulosa, et ridicula, et inepta continentes, vel minus honesta interponentes. Catellos quoque (3), et alia hujusmodi manifesta levitatis indicia penitus a se removeant: et ne uno quidem die intra septa Monasterii detineri permittantur sub pœnis arbitrio nostro infligendis. Pueri, et puellæ (4), etsi septennio minores intra septa Monasterii numquam admittantur. In corporis cultu, et in vestibus ex divo Hieronymo (5), neque sordes sint, neque studiosa munditiés. Animi enim exquirendus est decor, non corporis, et quanto abjectior in oculis hominum virgo est, tanto splendidior, et venustior in oculis Dei: *tu foris pannosa*, sic Virginem alloquitur divus Bernardus (6), *intus speciosa resplendes, sed divinis aspectibus, non humanis. Intus est, quod delectat, quia intus est, quem delectat, nisi forte tu dubitas, habitare Christum per fidem in corde tuo.*

III.

A colloquiis (7), aspectuque virorum, quantum possunt, abstineant. Cum viris seculi horas terere, eorumque delectari consuetudine, nec ullam contrahere labem, pene miraculo esset: *Virginitatis dos*, ait divus Ambrosius (8), *quædam est verecundia, quæ commendatur silentio*. Bacchanalium vero tempore (9) non alia ratione animum, corpusque recreare sibi licere intelligant, quam ea, quæ cum virtute sit conjuncta. Caveant idcirco ex decreto sacræ Congregationis (10), ne umquam quacumque de causa, religioso habitu deposito, virilem induant, aut armis se præcingant, quod vel in fœminis sordidis valde damnatur. Quin et mandamus (11) Professis, Conversis, et Novitiis, ne personatæ ad crates, vel ad januam se conferant, aliter gravibus pœnis in eas animadvertemus: existentes autem in educatione puellas sub eodem decreto comprehendi-

(1) *Ibid.* §. 16.

(2) *Amba Synod. nost. laud. ibi.*

(3) *Eadem Synod. nost. ibid.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(5) *Ibid.* §. 27.

(6) *Epist. CXIII. Edit. Mabill.*

(7) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(8) *Lib. de Instit. Virginis Cap. I.*

(9) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

(10) *S. Congr. Episc. 17. Aprilis 1604.*

(11) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

hendimus, addita pœna expulsionis a Monasterio absque spe facultatis obtinendæ, ut in alio recipiantur. Ob eamdem honestatis causam præcipimus (1), ne viri, aut mulieres personati ad crates, et ad januam Monasteriorum accedere audeant sub pœnis gravissimis arbitrio nostro ferendis juxta facti, et personarum qualitatem, contra quas etiam per viam inquisitionis ex officio procedemus. Et similiter in Monasterio omni se modestia contineant, et conversentur, nec umquam nisi Ordinis sui vestibus singulis indutæ e Cellis prodeant. Separatim singulæ cubenr (2), nec in eodem cubiculo plures sternantur lecti. Quod si, gravi flagitante causa, ab ea approbata, quæ Monasterio præsit, id fiat, sepimenta modestiæ causa interjiciantur. Nec in vicinia Monasteriorum (3) tabernæ, et popinæ aperiantur, nec publicus ludus fiat, et omnis insanus strepitus facessat: neque iisdem sint conterminæ meretricum, mulierumve suspectarum domus. Pariter ex decreto sacræ Congregationis (4) arbores altæ excidantur, quæ propter illa succreverint: nec etiam propinqua ædificia ita attollantur, ut ad illa prospectus pateat: nec ita contigua extruantur, ut ultro citroque voces exaudiantur.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

(2) Synod. Hieronym. Colum. ibi.

(3) Amba Synod. nost. ibid.

(4) 13. Augusti 1583.

IV.

Paupertatis voto, tamquam vallo firmissimo munitur regularis vita, omnisque per illud amovetur proprietatis species. Ea monasteria, in quibus absoluta vitæ communis ratio conservatur, tam pretiosum regularis vitæ præsidium diligentissime custodiant, vigilentque Præfectæ, ne prava aliqua consuetudo irrepat, communisque vitæ puritas quoquo modo violetur. Atque optatissimum sane esset Nobis, ut cetera quoque in ea vivendi ratione adhuc degerent, qua instituta fuere; sed hac spe dejecti, id tamen volumus, ut quæ ad proprietatem vergunt, penitus evitentur. Nulli igitur Moniali liceat (5) bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acqui-

(5) Synod. Trid. Sess. XXV. Cap. II. de Regul. et Moniał.

acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere; sed statim Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. Nec illi (1), cujus intuitu aliqua bona ad Monasterium pervenerint, eorumdem bonorum administratio concedatur, nisi ex Capituli suffragiis: atque hæc eadem administratio perpetua non sit, sed temporaria, et illis mutationibus intercepta, quibus subduntur cetera officia Monasterii: fructus vero inde percepti in commune conferantur.

(1) *Synod. Trid. ibid. et Synod. Boncomp. ibid.*

V.

Verba illa *meum*, et *tuum* (2), cujusdam proprietatis indicia, devitentur. Reditus (3) annuos non apud se retineant, sed in arca communis depositi collocent, sicut et aliam qualemcumque pecuniam. Nec ullas expensas faciant, nisi de ejus, quæ præsit, facultate, cui causam expensæ sincero animo aperient: nec facultatem importunius extorquebunt. Quidquid offerri contigerit, Præfectæ primum detur, et ejus dispositioni liberum relinquatur. Jus enim nullum voluntariæ paupertati competere potest, sed usus tantum: usus autem ad Præfectæ arbitrium referri debet, eaque non concedente vel ipse usus est interdictus. Quæ autem ad usum vel postulantur, vel conceduntur, ea sint, quæ nullam afferant sanctæ paupertati offensionem, moderata scilicet, et vulgaria, non superflua, non pretiosa, non inania, et delicias præseferentia (4). Si ex pecunia, quæ quavis de causa obvenerit, ex Præfectæ facultate aliquid quæpiam fieri curaverit, vel ad Monasterii commodum, vel ad Ecclesiæ decorem, caveatur, ne illius nomine, vel stemmate id consignetur. Denique meminerint sacræ Virgines, sibi vetitas esse largitiones effusas, tamquam voto paupertatis infensas, et gravibus etiam pœnis multatas (5).

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(3) *Synod. ead. ibi.*

(4) *Trid. loc. cit.*

(5) *Ex Constit. Clem. VIII. Religiosæ Et Urbani VIII. Nuper.*

V I.

Nulla depositum apud se custodiendum (6) cujuslibet generis sine Vicarii nostri licentia recipiat; acceptum

(6) *Synod. Hieronym. Colum. ibi.*

ptum vero de ejus consensu Præfectæ, vel Depositariæ tradat. Innixi quoque Benedicti XIV. (1) et Clementis XIII. (2) constitutionibus stricte vetamus, ne Officiales vel in suscipiendo, vel in exercendo, vel in dimittendo officio, vel ob alicujus diei festi celebritatem ullas expensas faciant; sed hæ e communibus Monasterii reditibus fiant. Nec eam probare consuetudinem possumus, qua Sacrarii Præfecta hoc onere prægravatur, ut esculenta, et poculenta singulis diebus Confessariis suppeditet. Hæc itaque omnino prætermittantur.

(1) Encycl. 26. Januar. 1742.

(2) Encycl. 30. Jun. 1759.

V I I.

At perfectionis firmamentum est obedientiæ votum, quod ex divo Thoma (3) in religionis votis potissimum est, quoque religiosus status constituitur. Itaque quo excellentior ceteris virtutibus est obedientia, eo ardentius ad ejus laudem Moniales incendantur: nihil leve existimantes, in quo obedientiæ meritum consequi possint. Per ipsam enim actiones, quæ nullius momenti videntur, nobilitantur: quæ autem insigniores videntur, si ab obedientia desiscant, deturpantur, et inficiuntur. Obedient autem prompto, hilarique animo: hilarem enim datorem diligit Deus (4): in simplicitate cordis, et sinceritate Dei jussa excipientes: illa non curiose discutientes, nec ad censuram Superiorum animum adjungentes: non ea solum devitantes, quæ voto adversentur; sed ea quoque, quæ huic tam præclaræ virtuti vel minimum detrahant. Superiorum jussa, et præscriptiones, sive voce, sive scripto contineantur, accurate exequantur. Superiorum auctoritati nec verbo, nec facto resistant, nec alicujus favore, aut auctoritate ad explendam cupiditatem, declinandamque obedientiam utantur (5): aliter pro modo culpæ severe punientur.

(3) 2. 2. Q. CLXXXVI. Art. VIII.

(4) II. Corinth. IX.

(5) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

V I I I.

Sed nec vota servabunt, nec ad eam perfectionem,

nem, quam profitentur, contendent, nisi regulas, et constitutiones sibi proprias diligenter observent, et diligant: idcirco has publice ad mensam, et privatim etiam legant, scrutentur, et eum spiritum delibent, ad quem vocatæ sunt. Quamobrem et institutum, cui nomen dederunt, et suum Monasterium summo affectu, studioque prosequantur, tamquam illam navem bene instructam, qua tranquillum æternæ vitæ portum cum maxima celeritate tenere debeant, vel tamquam eam petram, e cujus foraminibus evocatæ, ceu candidæ columbæ in Dei sinum evolaturæ sint. Hinc cuique Monialium cordi sit, bonæ Monasterii sui existimationi, famæque servire: nec proinde (1) verbo, aut scripto quidquam evulgent, quod vel privatam personam, vel totam communitatem attingat, quodque bono nomini detrimentum afferre possit: neque item extraneis, aut consanguineis, aut puellis in educatione versantibus secreta Monasterii impertiant: aliter hac in re delinquentes Nobis pœnas dabunt.

(1) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

IX.

Satagant omnes bonis operibus, et sanctarum virtutum prosecutione sibi nuptialem vestem intexere, et tamquam prudentes Virgines oleo lampades ornare. Christum semper in corde defixum teneant, et tamquam apes ei insideant, et succum perfectionis ex ipso eliciant: *favum itaque mellis tua opera componant*, ait divus Ambrosius (2): *digna enim virginitas, quæ apibus comparetur: sic laboriosa, sic pudica, sic continens..... Florem quoque tibi demonstro carpendum, illum utique, qui dixit* (3): *ego flos campi, et lilium convallium*. Precationi jugiter operam dent: choro interesse non negligant, et psallant spiritu, et mente. *Nihil enim*, ait divus Joannes Chrysostomus (4), *animam æque erigit, altamque quodammodo efficit, atque a terra liberat, et exsolvit a vinculis corporis, amoreque sapientiæ afficit, sicut tantus modulationis, et divinum canticum numero*

(2) *Lib. II. de Virginibus. Cap. VIII.*

(3) *Cantic. II. v. 1.*

(4) *In Ps. XLI.*

compositum. Qua ratione autem psallere oporteat, docet Apostolus (1), dicens: *canentes, et psallentes in cordibus vestris Domino*. Super quæ verba idem Chrysostomus ait (2): *quid est in cordibus vestris? cum intelligentia, inquit: ut non os quidem, inquit, verba loquatur, mens autem extra versetur undique vagans; sed ut lingua ab anima audiatur*. Etsi vero Moniales verborum vim non percipiant; non inde tamen fructu destituuntur, modo ad Deum corde conscendant. *Etiamsi vim verborum non noveris*, ait ipse Chrysostomus (3), *doce interea ipsum os verba dicere. Sanctificatur enim etiam lingua per verba, quando ea dicuntur prompto, et alacri animo ... quod enim hic quæritur, est sobria anima, mens vigilans, cor compunctum, valida ratio, expurgata conscientia*.

(1) *Ad Ephes. V. 19.*

(2) *Ibidem.*

(3) *Ibidem.*

X.

Retinendum et illud saluberrime receptum, et a sacra Congregatione decretum (4), ut nulla virgo habitum religionis induat, nisi prius exacto spiritualium exercitationum curriculo, ut cum habitu seculi veterem etiam hominem deponat. Quæ spiritualis exercitatio ab unaquaque fiat, quum professura est. Quinimmo ad expoliendos animos, eosque in virtutum semita confirmandos, optamus (5), ut laudatissima consuetudo servetur, ut in singulis Monasteriis decem dierum spatio eadem sacra exercitatio quotannis peragatur.

(4) *Die 9. Octob. 1682. approb. Innocent. XI. et Clement. XI. Encyc. 16. Martii 1703.*

(5) *Bened. XIV. Notif. IX. Vol. II.*

X I.

Jam clausura sacræ Virginitatis munimentum, et propugnaculum est, et ubi remissior, et licentior vagandi sacris Virginibus facultas sit, vel liberior ad eas conveniendas accessus pateat, eædem Virgines facile in salebras incidunt, et in magna veniunt pericula, ut sapienter dixerit diva Theresia (6) mulierum contubernia laxius custodita ad perditionem deducere. Idcirco Ecclesia de sacris Virginibus mire sollicita, easdem clausura contineri præcepit. Eam indixit Bonifacius VIII. (7) confir-

(6) *In ejus vita Cap. VII.*

(7) *Cap. Periculoso de Statu Regul. in 6.*

confirmavit deinde Tridentina Synodus (1), et postmodum S. Pius V., et Gregorius XIII., aliique sanxere Pontifices, et quibuscumque eam infringentibus pœnam excommunicationis apostolicæ Sedi reservatæ ipso facto incurrendam imposuerunt; revocatis etiam super hac re extraordinariis facultatibus quibuscumque; quod etiam præstitit sua Constitutione Benedictus XIV. (2). Nostri muneris erit eam vigilantissime tueri, et eam temerantes, præter jam latas, aliis pœnis coercere. Nulli autem sive laico, sive Sacerdoti, sive Regulari quomodolibet (3), et sub quovis prætextu liceat accedere ad colloquendum cum Monialibus sine Nostra licentia de scripto obtenta sub pœna viginti quinque aureorum, qui locorum piorum commodo adscribentur: neque id sibi licere blandiantur, quod vel cantum, vel sonum, vel aliud quodcumque docere intendant. Nam nisi facultate nostra muniti id aggressi fuerint, eadem pœna constringentur. Sed vero illos omnes excommunicationi Nobis reservatæ subjicimus (4), qui, licet facultate impetrata, pravo animo ad Monasteria se contulerint, eamque pravitatem verbis, aut nutibus quoquo modo aperuerint. Atque etiam crimine Nobis reservato obstrictos declaravimus (5), qui ad eadem, etsi facultate obtenta accedentes, obscœna verba effuderint, vel etiam absentes per nuncios, aut epistolas, aliove quovis modo Moniales, aut fœminas ibi versantes ad turpia sollicitaverint.

XII.

Regulares porro in supradictis delinquentes, etiam in Monasteriis sibi subjectis, noverint ex decreto jussu Sixti V. edito (6) privationi vocis activæ, et passivæ, ac omnium officiorum esse obnoxios: Nosque tamquam apostolicæ Sedis delegati ex Constitutione Gregorii XV. (7), et decretis ab eodem, et Urbano VIII. approbatis ad ulteriores salutares pœnas contra ipsos procedemus. At iisdem tamen, consanguineis in primo, et se-

(1) *Sess. XXV. Cap. V. de Regul., et Monial.*

(2) Constit. Salutare *ann.* 1742.

(3) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

(4) *Amba Syn. nost. ibid.*

(5) *Cap. VI. Lib. II.*

(6) *Anno* 1590. *Die* 7. *Maii, et alias.*

(7) Inscrutabili, *et in Dub. resolutis* 1623.

cundo gradu consanguinitatis quater in anno expedietur a Nobis de scripto facultas ex decreto sacræ Congregationis (1), ut suas consanguineas convenire, et alloqui possint, servata forma in eodem decreto contenta, et sub pœnis in eodem appositis. Hæc tamen facultas, nisi gravis causa indulserit, tempore Adventus, et Quadragesimæ, et pervigiliis, et sexta feria, et sabbatho, et diebus festis (2) non concedetur. Dabunt autem operam ipsæ Moniales, ut hi consanguinei, et alii quicumque ea diei parte adveniant, ut suis muneribus persequendis impedimento non sint: nec harum collocutionum occasione a choro se abesse patiantur, ne plus hominibus tribuant, quam Deo. Si quis vero etiam secularis, vel si qua Monialis adulterata facultate usa fuerit, graves ambo pœnas luent. Hisce autem collocutionibus adsint semper graviores aliquæ Moniales, quæ auctoritate sua omne periculum removeant.

(1) 12. Kal. Novemb. 1613.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

XIII.

Janitrices quoque, et Rotariæ præficiantur, probata virtute, et prudentia, quasi conclusi horti custodes, quæ jam annum quadragesimum attigerint. Hæ epistolas (3), munera, et quævis alia primum Præfectæ Monasterii exhibeant, antequam tradant ei, cui diriguntur: neque, eadem inscia, acceptas à Monialibus epistolas, aut munera extra mittenda recipiant, secus dignas se probabunt, quæ pœnis, arbitrio nostro, afficiantur. Licentia ingrediendi intra clausuram nemini umquam a Nobis aut a Vicario nostro oretenus concedetur (4). Itaque Janitrices neminem sine licentia de scripto intra clausuram admittere audeant sub pœna excommunicationis (5) ipso facto incurrenda tam a Monialibus introducentibus, quam ab ipsis ingredientibus, etiam regularibus. Optima vero cautio, et provisio clausuræ est, ut duæ tantum pateant januæ: una ad importandos commeatus, altera pro usibus quotidianis. Neutræ allocutionibus inservire debent. Ambo sub vesperam ad si-

(3) Synod. ead. ibid.

(4) Synod. Trid. loc. cit.

(5) Synod. Boncomp. ibid.

ad signum salutationis angelicæ occludantur, nec aperiantur, nisi lucente die: claves autem penes Monasterii Præfectam deponantur.

X I V.

Bonus ordo postulat, ut in qualibet domo sit, qui præsit, et cui pareatur: idcirco in quolibet Monasterio eligenda Præfecta est, seu Abbatissa, seu Priorissa, seu quocumque alio nomine nuncupetur, cui ceteræ Moniales et obedientiam præstabunt, et omnes functiones suas, et imposita munera ad illius arbitrium referent. Hæc non minor annis quadraginta sit (1), et quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit, cujus officium (2), sicut et alia aliis injuncta, expleto triennio expiret. Electio ad crates (3), seu ante cancellorum fenestellam coram Vicario Monialium, vel alio a Nobis deputato fiat: suffragia secreto, et de scripto dentur: quin et oretenus excipi poterunt, præsentibus tamen duobus testibus: eaque electa judicetur, in quam ex tribus suffragiorum partibus duæ consentiant, aut saltem, quæ suffragium supra medietatem tulerit. Sed hac in re servandæ sunt (4) singulorum Ordinum, vel Monasteriorum constitutiones. Eligentes tamen non humanum aliquid spectare debent, sed solam Dei gloriam, communemque utilitatem, Dei auxilium, lumenque enixe implorantes.

(1) *Synod. Trident. Sess. XXV. Cap. VII. de Regul. et Monial.*

(2) *Ex Constit. Gregor. XIII. anno 1583.*

(3) *Synod. Trident. ibi.*

(4) *Synod. Trident. ibid.*

X V.

Ex Gregorii XV. Constitutione (5), quum Ordinarii locorum interesse possint, vel alium deputare, si ita sibi bene visum fuerit, electioni Præfectæ Monialium Regularibus subjectarum, ideo præcipimus, ut certiores Nos faciant de tempore electionis Præfectæ, ut a Nobis terminus constituatur, quem expectare teneantur (6); aliter si, aut Nobis non monitis, aut præscriptum tempus prævertentes, ad electionem processerint, censurarum pœnis, aliisque arbitrio afficientur.

(5) Inscrutabili.

(6) *Ex Decret. S. C. 1626.*

XVI.

X V I.

Dum Præfecta quæcumque Monasterii a suo munere vacat (1), reliqua etiam Monasterii officia desinent, et ad singula novæ electiones sanciendæ sunt. Rei vero domesticæ Administra (2), antequam sui muneris vacationem habeat, rationes accepti, et dati dabit, quas nisi liquido, et perspicue dederit, inhabilem illam declaramus, ut tunc, et imposterum eidem tale munus conferatur.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(2) Synod. ead. ibid.

X V I I.

Ea vero, quæ ad Monasterii præfecturam vocata est, earum omnium, quæ sibi commissæ sunt, curam gerat, et in ea præsertim intendat, quæ ad spiritum pertinent: opportunas monitiones ne prætermittat. Ejus partes erunt, peccata, ut primum sive ex delatione alicujus, sive alia via certo cognoverit, nullo modo negligere; sed pro qualitate eorum, et periculo impendente, et conditione personæ, quid agi opus sit, statuere. Aliquando enim erratum dissimulandum est, vel ad tempus tolerandum, aliquando subito puniendum, et quandoque tantum reprehendendum. Hujus rei prudentia solertissima magistra est. Vigilet, ne ad januam colloquia fiant, neve frequentius, aut familiarius, quam par sit, cum viris seculi aliqua colloquatur. Aliquas etiam invicem nimia familiaritate, et consuetudine devinciri ne patiatur. Curet, ut omnes concordi quadam charitate consocientur, ut omnium sit una mens, una voluntas, idem desiderium, ut secundum Apostolum (3) corpus unum efficiantur, multis inter se membris coagmentatum. Ita se comparet, ut nullam præcipuo dignam amore statuat, nisi quam moribus, et virtute ceteris præstare viderit. Discordiarum semina in suis exordiis elidat, et comprimat. Si qua mala existere videat, omni studio contendat, ne cunctatione, et socordia vix nata succrescant: et ideo bis in mense (4) cum suis Discretis conferat, an aliquis pullulet abusus, consul-

(3) Ad Rom. XII.

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

consultetque de remedii applicatione. Studeat vero ipsa in omni disciplina, et quæ Constitutionibus Monasterii, nec non decretis, et ordinibus nostris debetur, obtemperatione, ceteras anteire, æqualitatis regulam, nisi quatenus officii necessitas postulat, non egrediendo.

XVIII.

Perlustret quandoque cum Discretis (1) de improviso omnia Monialium cubicula, ne quid superfluum sit, neve pretiosius, aut elaboratius, quam patiatur paupertas, quodque ab aliarum æqualitate recedat. Statis temporibus Capitulum convocabit (2), in quo omnes congregatæ de iis, quæ in officiorum functione, vel adversus domesticæ disciplinæ regulas commiserint, sese coram aliis accusent. In hisce comitiis omnes hortabitur, ut choro frequentes, et devote intersint, ut a cratibus abhorreant, vanisque collocutionibus, et ut ubique modestiam, et silentium, et decorum teneant. Enitatur autem summopere, ut omnes orationi maxime insistant, ac potissimum mentalis precationis sint studiosæ, sine qua spiritualis vitæ ratio nullo modo potest consistere. Conversas vero ad laboriosa, et humilia Monasterii officia alacriter obeunda incitare non desinet, illis ad memoriam revocando, eas non hominibus servire, sed Deo. Curabit etiam bene easdem imbui, et institui in iis, quæ ad vota, et ad perfectionem pertinent. Meminerit demum, ad regularum Monasterii tutelam, et ad virginitatis custodiam, et ad perfectionis singularum adjumentum se constitutam fuisse, sibique de singulis rationem Deo reddendam.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

(2) *Synod. ead. ibi.*

XIX.

Constituenda est quoque novitiis puellis Magistra, quæ sanctitate vitæ, usu, et docendi ratione, auctoritate item, et mansuetudine tanto munere recte fungi valeat. Ejus custodiæ (3) in particulari habitatione integro probationis anno tradantur, et ei subsint, et obediant. Quo tempore curabit, ne in aliarum Monialium

(3) *S. Cong. Episc. die 10. Mart. 1593.*

illum consuetudinem se dent, explorabitque diligenter, an ex vero animi sensu religiosam vitam sint amplexæ. Crebro autem ad sui ipsatum abnegationem inflammabit; atque ad absolutam obedientiam, paupertatemque præstandam, ad castitatis puritatem perfecte custodiendam, ad omnium præterea institutorum Ordinis disciplinam plene tenendam informabit. Experimenta etiam capiet, quantum in studio mortificationis, et suæ voluntatis abnegatione profecerint, nihilque omittet eorum, quæ ad profectum virtutum conducere possint.

X X.

Si puella admitti ad regularem vitam petat, multa spectanda, et indaganda erunt, scilicet, si (1) consuetam habeat dotem ad sui sustentationem Monasterio persolvendam: si dotes habeat corporis, et animi ad munera status religiosi explenda accommodatas. Spectandum erit, qui ejus natales sint, qui parentes: an ulla laboret infamia: an pertinacis, contumacis, superbi, fastidiosi ingenii videatur, an levitatem præseferat. Si de excipienda Chorista agatur, an legere sciat, et eo judicio sit, ut monasticæ vitæ functiones peragere possit: si vero de Conversa, an ea aptitudine sit, ut servilia ministeria rite obire possit: in utrisque consideranda valetudo, et vires corporis cuique generi accommodatæ, et multo magis sanitas mentis, et probitas morum. Interim (2) monenda erit, ut, re nondum confecta, illa omnia defugiat, quæ mundi sunt, et a virginali statu abhorrent: ut mores ad omnem modestiam, et sanctitatem componat, atque ardentius a Deo lumen in re tam gravi impetrare assiduis precibus, et frequenti Sacramentorum usu contendat.

(1) *Amba Syn. nost. ibid.*

(2) *Synod. Jacob. Boncump. ibi.*

X X I.

Si nihil emergat, quominus recipi possit, nec de ejus constantia ulla existat dubitatio, Moniales (3) in Capitulum congregatæ ferant suffragium de ejus receptione; sed satagant, ut sive in admittendo ad habitum,

(3) *Synod. ead. ibid.*

tum, sive ad professionem, omnem deponant affectionem sanguinis, aut personæ, nec a recto judicio deduci patiantur humanis rationibus illectæ; sed Deum præ oculis habentes, quod suæ Religioni utile, ac rectum videbitur, id exequantur. Acceptanda autem puella prius a Nobis, vel a Vicario nostro exploranda est (1), an sciat, quid agat, et an libere se ad eam vitæ rationem convertere velit. Quæ exploratio similiter præmittenda de illa est, quæ Monasterium Regularibus subjectum ingressura est ex decreto sacræ Congregationis (2). Admissa ad habitum puella integrum probationis annum decurrere debet, nec ad professionem admitti potest, nisi expleto decimo sexto ætatis anno (3). Uno ante professionem mense (4) certiores Nos faciat Præfecta Monasterii, ut exploratam habeamus Novitiæ voluntatem, quæ, si dicto tempore eam notitiam ad Nos non detulerit, arbitrio nostro ab officio suspendetur. Si plures, quam duæ sorores (5) in eodem Monasterio excipiantur, duæ tantum priores jure suffragii gaudebunt, quarum una decedente, altera deinde succedet.

(1) *Synod. Triaent. Sess. cit. Cap. XVII.*

(2) 13. Nov. 1617. *et alias.*

(3) *Synod. Trid. ibid. Cap. XV.*

(4) *Ibid. Cap. XVII.*

(5) *Amba Syn. nost. et S. Cong. Episc. plures.*

X X I I.

Dos pro Candidata solvenda (6), in numerata pecunia deponatur ad tempus vestitionis in Monte Pietatis, aut prævia licentia nostra penes idoneam personam a Nobis adprobandam, vel penes publicum campsorem, aut fideijussorem, exclusis omnino candidatæ consanguineis, et Monasterio, in quo eadem admittitur. Eadem pecunia numeretur diebus octo ante professionem: qua emissa in bonis stabilibus, et fructiferis collocanda erit: nisi aliud a legitima auctoritate fuerit permissum.

(6) *Amba Syn. nost. ibid.*

X X I I I.

Perantiqua, et laudabilis est ea consuetudo, ut puellæ Monialibus in disciplinam tradantur. Ut autem cum illarum profectu id contingat, nec cum aliquo re-

ligiosæ vitæ detrimento, nonnulla observanda sunt, et adamussim sacræ Congregationis decreta retinenda. Non sint septennio minores, nec annum vigesimum quintum excesserint (1). Si qua tamen, protracta in Monasterio educatione, annum vigesimum quintum excesserit, renovanda erit sacræ Congregationis facultas. Caute, et considerate agendum (2) in acceptandis viduis, vel ætate longævis in numerum Contubernalium. Si qua ex his postulet ingressum, antequam res ad Capitulum deferatur, Nos consulant Præfectæ, ut examinatis conditione, qualitate, et moribus postulantium, deliberemus, an e re sit facultatem a sacra Congregatione impetrare.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ex decr. S. Congr.*
(2) *Synod. ead. ibi.*

X X I V.

Puellis educandis præsit Magistra (3) ætate grandeva, insigni probitate, et industria, a cujus disciplina, et obedientia numquam recedant. Clausuræ finibus semper contineantur: habeant proprium a Monialibus sejunctum conclave: non cubent plures in eodem cubiculo (4), multoque minus in eodem cubili. Nimias quasdam invicem familiaritates, et intemperantes propensiones Magistra discindat, removeatque. Surgent mane cum ceteris (5), ornantes se cum verecundia, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste pretiosa, sed habitu, qui deceat Virgines promittentes pietatem per bona opera: nec per Monasterium vagari libere permittantur: salutaribus imbuantur præceptis, et fidei rudimenta edoceantur, et ad christianam pietatem deducantur, et ab otio, desidiaque arceantur.

(3) *Archiepiscop. Bonon. in Concil. Provin. I. P. IV.*
(4) *Archiepiscop Bonon. loc. cit. et Ben. XIV. Not. IX. Vol II.*
(5) *Archiepiscop. Bonon. ibid. Et Bened. XIV. ibid.*

X X V.

Si qua puella educationi tradita matrimonio sit jungenda, districte præcipimus (6) Monasterii Præfectæ sub pœnis arbitrariis sine cunctatione infligendis, ne sponsalia cum ea, adhuc intra claustra degente, ineantur, nec sponso pateat aditus sive ad januam, sive

(6) *Archiepiscop. Bonon. ibid. Et amba Synod. nost. ibid.*

sive ad crates ad jungendas manus. Verum ubi per Consanguineos, aut per eos, ad quos de jure spectat, promissa fuerit, statim extrahatur, nec post dies octo retinere eam liceat sub excommunicatione (1) ferenda in ipsam Præfectam eos dies protrahi patientem.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibid. ex litt. et decret. S. Cong.

X X V I.

Sacris Virginibus in spiritu regendis Dux quidam adscribitur, ordinarius scilicet Confessarius. Hic ea esse debet ætate, scientia, vitæ sanctitate, prudentia, et asceticæ artis intelligentia, ut tamquam bonus agricola lectissimos hos flores educare possit, et colere. Abdicatis ceteris muneribus in hoc tantum culturæ genere se exerceat. Magna charitate omnes æqualiter complectatur, omni amandata personarum acceptione, quæ apud Deum locum non habet (2). Omnis monitio acerbitate careat: blande in earum aures, et corda influat, leniterque ad omnem perfectæ vitæ rationem perducat. Suavitatem, et comitatem auctoritate, et gravitate temperet: nisi vero excellat patientia, muneri impar erit. Ita tamen patientem se præbeat, ut nimius non sit: nam mulieribus quo plura dantur verba, eo plus insatiabiles evadunt. Sacra vero colloquia, et confessionum exceptionem ad noctis tempus ne producat. Superfluos sermones (3), curiosasque interrogationes devitet. Denso velo (4), quod amoveri nequeat, præsepiatur fenestella, ex qua confessiones excipiuntur. Vigilem se custodem, exactoremque exhibeat regularum, et observantiæ; atque ita sacrarum functionum, et Confessionum excipiendarum tempus disponat, ut regulari disciplinæ nullam inducat perturbationem. Regulas ipsas, et constitutiones Monasterii apud se habeat, et perlegat, ut earumdem accuratam observationem repetat. Monita, et decreta nostra (5), quæ ad Moniales dirigantur, adimpleri curet, eaque in primis, quæ in Pastorali nostra visitatione edidimus, et apponentur in Appendice (6). Dum nova Præfecta Monasterio danda

(2) Ad Rom. II.

(3) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

(4) Synod. ead. ibi.

(5) Synod. ead. ibi.

(6) Vid. in Append. Num. I.

danda est, nullo modo se ād alicujus electionem admoveat (1), pertentando, et sollicitando Monialium animos; sed id rei nullo modo contingat. Id unum moneat, ut Dei lumine invocato, eam eligant, quæ bono Monasterii plus expedierit.

XXVII.

Domum (2) in Monasterii vicinia sitam incolat, ut repentinis, et urgentibus necessitatibus præsto esse possit; ea tamen non sit contigua (3), nec ulli aditus, aut prospectus pateant, ex quibus audire, aut alloqui, aut videre possit in Monasterio versantes. Clavis fenestellæ pro sacra Synaxi Monialium sit penes Monasterii Præfectam, et a Confessario aperiatur. Clausuræ leges religiose custodiat: nec intra septa Monasterii pervadat, nisi ut infirmis (4) Sacramenta administret, aut morientibus opem ferat: nec pœnas evadet a summis Pontificibus latas, si sine legitima causa in clausuram se intromiserit. Si qua infirma commode ad consuetum locum confessionum accedere possit, causa non erit, cur clausuram introeat. Quum infirma, cui morienti adstiterit, decesserit, e clausura exeat, et foris demortuæ legitima persolvat. Expleto triennio, omnis ejus facultas extincta erit.

XXVIII.

Præter ordinarium Confessarium ex Tridentina Synodo (5) alius extraordinarius bis, aut ter in anno assignandus est. Huic se omnes Moniales (6) sistere debent, et ab eo nedum salutaria monita excipere; sed ei etiam laudabile est confiteri. Namque eo tempore, quo ipse tale gerit munus, abstinere omnino debet ordinarius a confessionibus sive Monialium, sive aliarum fœminarum in clausura degentium excipiendis, ex Constitutione Benedicti XIV. (7) Extraordinarius autem rite, et pie fungatur munere suo, nec ad crates, nec ad rotam colloquendi gratia accedat, et spiritualibus tantum intentus (8) nulla suscipiat transigenda pro Monialibus negotia.

(1) Synod. ead. ibid.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(3) S. Cong. Episc. 21. Jan. 1576. et alias.

(4) Synod. ead. ibid.

(5) Sess. XXV. cit. Cap. X.

(6) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(7) Pastoralis curæ ann. 1748.

(8) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

X X I X.

Meminerint vero Superiores regulares bis, vel ter in anno extraordinarium deputare Monasteriis sibi subjectis, non tamen semper proprii Ordinis Sacerdotem, sed saltem semel in anno Sacerdotem vel secularem, vel regularem alterius Ordinis, et a Nobis repetendam esse adprobationem. Quod si id facere neglexerint, Nos facultate a Benedicto XIV. attributa (1), hunc extraordinarium arbitrio nostro constituemus. Noverint etiam iidem, se subire non posse munus audiendi confessiones suarum Monialium sine adprobatione nostra ex Gregorii XV. Constitutione (2).

(1) *Constit. cit.*

(2) Inscrutabili.

C A P U T V.

De Tertiariis, et Puellis in Conservatoriis degentibus.

I.

DE Tertiariis, quarum non paucas in Civitate, et in Diœcesi habemus, et in quas intendit Concilium primum Provinciale Bononiense (5), nunc pauca dicenda, et fere illa ipsa, quæ Benedictus XIV. tradidit (6), qui incredibili charitatis affectu omne personarum genus complexus est. Hæ autem duplicis generis sunt: quarum unum est illarum, quæ habitu alicujus regularis Ordinis indutæ disjunctim in privatis ædibus immorantur; alterum earum, quæ in unam domum congregantur, et aliqua regularis vitæ disciplinæ specie continentur.

(3) *Archiepiscop. Bonon. P. IV.*

(4) *Notif. IX. Vol. II. et Notif. XVII. Vol. V.*

I I.

De iis, quæ in paternis domibus separatim vivunt ad normam Pontificiarum Constitutionum hæc decernimus. I. Nullam Fœminam posse a Regularibus ad habitum sui Ordinis admitti, nisi maturæ ætatis, summæ hone-

honestatis, probatæque vitæ, et nisi habeat, unde honeste vivere queat, degatque apud consanguineos, vel affines sibi in primo gradu conjunctos. II. Examen hujusmodi conditionum ad Nos omnino pertinere: neque a Regularibus ullam admitti posse ad habitum absque nostro examine, et adprobatione de scripto facta. III. Sic adprobatas, et voto simplicis castitatis obstrictas, et a regularibus Superioribus habitu donatas, fori privilegio gaudere, quo tamen non gaudent viri tertiarii, qui separatim vivant; sed ii tantum, qui in regulari domo sub regulari disciplina versantur. IV. In hunc modum initiatas non solum nostræ, sed Parochi etiam jurisdictioni, in cujus Parochia degunt, omnino esse subjectas. V. Regulares non posse earumdem confessiones excipere, nisi fuerint a Nobis pro confessionibus laicorum adprobati; neque posse iisdem infirmis aut Viaticum, aut Extremam Unctionem administrare; sed id muneris Parochi esse, sine cujus interventu, aut facultate cadaver efferri non potest. Quod si decesserint, non facta sepulturæ electione, in Parochia tumulandas esse, nisi forte in Ecclesiis Ordinis, cujus jam habitum susceperant, communis pro illis designata sepultura reperiatur.

III.

Alterum vero genus Tertiariarum, quæ sine solemni votorum nuncupatione, claustrique vinculo, communem tamen ad vivendum sibi sedem delegerunt, non adprobavit quidem Apostolica Sedes, sed dissimulando permisit (1), et Episcoporum jurisdictioni omnino suppositas esse voluit. Pro his ergo, sive quæ in Civitate, sive quæ in Diœcesi morantur, nihil ingerere possumus, nisi ut accurate observentur, quæ idem Benedictus (2), ad romanam Sedem evectus, et hujus Ecclesiæ gubernacula tenens, ab iis ipsis servanda sancivit. Et primo declaramus easdem nostræ Visitationi, vel Vicarii nostri subesse, eaque omnia decreta esse ab iis adim-

(1) *Vid. cit. Notif.* IX. *Vol.* II.

(2) Regole, ed Ordini per le Terziarie etc. 15 *April.* 1744.

adimplenda, quæ a Nobis emanaverint: quo Visitationis tempore rationem reddere teneantur de tota redituum administratione: II. Sacerdotem regularem, qui a suo Superiore ad earum confessiones excipiendas eligatur, a Nobis adprobandum esse. III. Bis, vel ter iisdem destinandum esse singulis annis extraordinarium Confessarium a Nobis adprobatum, ea ratione, qua Monialibus ex præscripto Synodi Tridentinæ conceditur. IV. Si quis ex necessitate, vel honesta de causa in colloquium alicujus earum venire debeat, ad crates alloquatur, qui est proprius collocutionis locus: qui quidem, si alicubi desideretur, extrui quamprimum curetur: cavendum tamen est, ne vaniloqui, impudentes, et nugatores, et otiosi ad eum locum accedant. V. Viris quibuscumque interclusus sit aditus, et ingressus in earumdem domos, quæ, quo ad ipsos, iisdem clausuræ legibus, ac Monialium cœnobia, adstringuntur: idcirco, neque Medici, neque famuli, neque alii quicumque viri in eas ingredi poterunt, nisi de facultate, consensuque Vicarii nostri, et Superioris regularis: secus in excommunicationem incident, aliasque pœnas arbitratu nostro. VI. Ne ipsos quidem regulares Superiores, et Confessarios in eas ædes introire posse vel ob administranda infirmis Sacramenta, vel ad curandum aliquod negotium, nisi pro illis casibus, et circumstantiis, et pro ea ratione ab apostolicis Constitutionibus præscriptis regularibus Superioribus, et Confessariis, quando Cœnobia ingrediuntur sibi subdita, et sub perfecta clausura contenta. VII. Nullam ex hisce Tertiariis ex illis septis prodire debere alieno habitu sumpto, sed suo semper retento, secus a Nobis puniendam esse: neque umquam solam exire debere, sed cum alia comite, obtentaque a Præfecta facultate, quam raro, et justa tantum de causa concedet; secus officii sui privatione multabitur: nec prius exire indulgeat, quam exquisierit, quo commeare velit, et in quam domum.

mum. Exeuntes autem Sorores alio non divertant, quam Præfectæ aperuerint, et loca frequentiora declinent, atque in incessu, et in toto corporis habitu ita se componant, ut exemplo sint omnibus: et sub vesperam ad sonitum angelicæ salutationis se in domum suam recepisse debent: aliter animadversionem nostram non effugient. VIII. Non licere vel ejus contubernii Præfectæ, vel Superiori regulari uni, vel pluribus facultatem impertiri, ut in domibus parentum, vel benefactorum rusticentur, aut pernoctent, ita ut Superior regularis id concedens voce activa, et passiva sit ipso facto privatus; Præfecta vero pœna expulsionis sit multanda, si has facultates imposterum concesserit. Quod si quæpiam affecta valetudine e Medici judicio ad vires reparandas in villam secedere debeat, hæc a Vicario nostro, et simul a regulari Superiore suo facultatem obtinere debeat: quem tamen rusticanum incolatum in sola Parentum domo, vel consanguineorum, et affinium primo gradu junctorum habere debet. IX. Demum in suis Ecclesiis hasce Tertiarias asservare non posse divinam Eucharistiam, Oleumque sanctum, nisi obtenta necessaria facultate.

I V.

Hæc fere omnia ex iis, quæ Tertiariis nostris constituit Benedictus XIV, deprompta fuere. Ceterum ex Concilio primo Provinciali Bononiensi (1) in hæc domicilia admitti aliqua non debet, nisi dotem habeat, unde alatur, et iis qualitatibus sit instructa, quæ a Nobis requirentur. Si vero quæpiam ex hisce monita nostra contempserit, fueritque contumax, et a cœpta virtutis via deflexerit, dimittetur.

(1) *Archiepiscop. Bonon. P. IV.*

V.

Civitas nostra piis locis referta, plura quoque habet contubernia, quæ vulgo Conservatoria dicuntur, in quibus puellæ a prima ætate certo annorum cursu diligenter educantur, et christianis moribus imbuuntur,

et ad

et ad muliebres artes instituuntur, donec vel perpetuæ religioni, et castitati sponte se consecrent, vel idoneis viris dentur nuptui, dote etiam a locorum Præsidibus persoluta. Nos satis laudare non possumus præstantissimorum Præsidum diligentiam, qui, sola charitate stimulante, id conantur maxime, ut hæc contubernia quam florentissima sint, et vere sanctæ institutionis domicilia videantur. Eosdem ergo in Domino obsecramus, ut eos in suscepto labore perseverare non pigeat, amplissimam a Deo mercedem percepturos.

V I.

At Confessarius earum confessionibus excipiendis destinatus omni contentione satagat, teneris ipsarum cordibus pietatem inserere, ad Sacramenta devote frequentanda deducere, pudicitiæ custodiam instillare, ad pietatem instituere, ut ab omni peccati specie perpetuo caveant. Singulis saltem diebus Dominicis (1) puellis in unum locum coactis christianam fidei, et morum disciplinam explanet. Ipsa etiam contubernii Moderatrix per hebdomadam eodem instituto ipsas exerceat, exigatque memoriter dicta, quæ in libello Christianæ doctrinæ, quem edidimus, continentur.

V I I.

Ad conscientiæ securitatem, et tranquillitatem valde conducit, ut aliquando extraordinarius Confessarius iis adscribatur, quæ in hisce domiciliis versantur, quæque alios adeundi Confessarios facultatem non habent. Igitur (2) bis, vel ter per anni spatium singulis hujusmodi contuberniis Confessarius extra ordinem assignetur, qui quidem a Nobis ad id muneris sit primum adprobatus. Denique pietati valde consentaneum videtur (3), ut præter sacras conciones, quibus per annum, et præsertim in Quadragesima excoluntur, singulis annis doctrina, et pietate præditus Sacerdos advocetur, qui ipsas puellas spiritualium exercitationum curriculo sancte detineat, erudiat, expoliatque.

(1) *Bened. XIV. Not. XXV. Vol. III.*

(2) *Idem Bened. ibi.*

(3) *Idem Bened. ibi.*

CAPUT VI.

De Confraternitatibus, Sodalitiis, et Eremitis.

I.

Piæ illæ Societates, quas saluberrimo consilio institui voluit Ecclesia, multisque cumulavit favoribus (1), et quibus laici cooptati, statis temporibus, ablegatis ceteris mundi occupationibus, in æternæ vitæ negotiatione versantur, tot abundant spiritualibus utilitatibus, ut retineri, confirmari, frequentarique merito debeant. Quod ut recte fiat, sollicitudo nostra desiderat, et mandat. Nam quum institutæ sint ad animos invicem charitatis fœdere devinciendos, ad sanctorum operum exercitationes peragendas, ad Ecclesiæ decorem, et Dei cultum adaugendum, nisi certis legibus muniantur, atque nisi hæ sedulo custodiantur, dissidiis, scandalis, et perturbationibus redundabunt.

(1) *Constit. Clement. VIII* Quæcumque. *ann.* 1604.

II.

Nulla equidem Societas, seu Confraternitas absque approbatione, et auctoritate nostra ne in Ecclesiis quidem Regularium, saltem cum usu *Saccorum*, ex decreto Sacræ Congregationis erigi debet (2); approbata vero leges a Nobis sancitas excipiet (3), quæ bis in anno perlegentur, ne illarum notitia dilabatur. Qui hisce nomen dederint, meminisse debent, se in quamdam peculiarem spiritualis perfectionis semitam ingressos fuisse, atque adeo morum probitate, et vitæ exemplo antecellere ceteros debere, in studio autem pietatis domos suas continere oportere. Itaque a ludis vetitis, et tabernis caveant, comissationes devitent: quæcumque malæ famæ sunt, oderint. Dies festos religiose traducant, nec in iis mundi negotia contrectent: ad Oratoria convenire non desinant: sanctissima Sacramen-

(2) *S. Cong. Episc.* 6. *Decemb.* 1616.

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. V.*

cramenta frequenter percipiant: matutinas, et pomeridianas preces devote persolvant: sodales ab officio recedentes opportunis monitionibus corripiant, et frigescentes accendant: eosdem ægrotantes invisant, et omni charitatis studio prosequantur. In hisce Oratoriis sanctissima Eucharistia sumenda est a designatis, Nobisque adprobatis Sacerdotibus (1), præterquam in Pascha, in qua ad Ecclesiam parochialem quisque tenetur accedere. Prohibemus autem in hisce sacram Eucharistiam servari juxta decretum sacræ Congregationis (2).

III.

Si, Nobis concedentibus, in hisce Oratoriis divina Eucharistia exponenda sit, id a Parocho præstetur (3), vel a Sacerdote a Parocho deputato: secus pœna aureorum decem multabuntur Officiales, qui ad id Sacerdotem sollicitaverint, exclusa Parochi auctoritate, et Oratorium Interdicto supponetur. Inclinato autem sole sanctissimum Sacramentum reponatur. Inhibemus quoque (4), inibi Sacrum fieri feria quinta majoris Hebdomadæ, suspensionemque latæ sententiæ indicimus Sacerdoti celebranti. Nec die Parasceves Christi Crucifixi imaginem adorandam ibi proponant; sed eo religionis officio in Ecclesia parochiali defungantur.

IV.

Nulla sedes fixa, stabilisque constituatur (5) pro Confessionibus excipiendis: si qua habeatur, removenda est; nisi aliter peculiari ex causa fuerit concessum. Dum Missa parochialis celebratur, vel in ea sermo, aut cathechesis habetur, congregari Sodales ad sacros suos cœtus non debent, ne muniis parochialibus sint impedimento, idque sub pœna Interdicti, cui Sacella ipsa supponemus. Nullas instituant functiones, nec supplicationes, nisi quæ de eorumdem statutis sint (6). Procedentes autem habitu suo indutos comitetur Sacerdos, sed stola minime decoratus. Et solum Christi Crucifixi simulacrum antecedat: et comparato ad devotio-

(1) *Synod. Hieronym. Colum. P. II. Cap. XII.*

(2) *15. Jan. 16.0. et alias.*

(3) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

(4) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

(6) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

votionem animo precantes, et psallentes, modestoque incessu suos circuitus agant. Quando publicæ supplicationes peraguntur, omnes interesse satagant. Nam dolendum sane, et improbandum maxime, ut aliquoties duo tantum, aut vix quatuor sodales sub sacro Vexillo procedant. Itaque Officiales attendant, ut convenienti sodalium numero honestetur religiosa celebritas, sub pœnis arbitrio nostro irrogandis.

V.

Ii tantum in Confratres cooptandi sunt, qui morum probitate, famaque bona commendentur. Qui, jam cooptati, depravatos mores exhibeant, aut dissidia serant, aut Oratorium frequentare negligant, si ter moniti non resipiscant, e sodalium numero omnino expungantur. Nam et tota Societas e potestate nostra extinguetur, si statas leges contempserit, aut a recta bonorum administratione deflexerit, aut Ecclesiæ commodis non deserviet. Dum novus sodalis admittitur, amictus societatis proprius ne detur, nisi præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ejusdem consensu (1), et stata prece ipsum benedicente, qui quidem domum ne perferatur, sed in ipso Oratorio servetur.

(1) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

V I.

Sacra supellex non in laicorum domibus, sed in Oratoriis ipsis, seu eorum Sacrariis decenter custodiatur: et ea omnia attendantur, quæ de Oratoriorum nitore, et munditia alibi sancivimus (2). Omnino autem prohibemus diem festum Sancti Titularis, aliasque solemnitates nimio luxu, profusisque impensis celebrari, vel profanis spectaculis dehonestari. Nobis non concedentibus non liceat eleemosynas conquirere, capsulamque pro iis constituere, multoque minus ad eas corrogandas ipsam per Civitatem circumducere (3). Si ex justis causis a Nobis adprobandis eleemosynæ colligantur, id per viros probos fiat: collectæ vero iis usibus religiose addicantur, quorum causa sunt conquisitæ.

(2) *Lib. I. Cap. VIII.*

(3) *Ex Constit. cit. Clement. VIII.*

VII.

V I I.

Si quæ dotes puellis sint distribuendæ, a Testatorum voluntate ne recedatur: nulla vel commendationum, vel sanguinis, vel amicitiæ ratio habeatur; sed illæ præoptentur, quæ morum honestate excellant, et majori egestate premantur, et quibus appositæ a Testatoribus conditiones magis conveniant. Commodum autem esset, ut destinatæ dotes statim in monte Matrimonii deponerentur fructum allaturæ, donec puella vel sacras, vel mundi nuptias contraxisset. Quod si designata dote, et nondum tradita, puella honestati, et pietati nuntium misisset, pronum esset eam exauctorare, dotemque alteri meliori conferre.

V I I I.

Singulis annis nova fiat Officialium electio coram Parocho, eoque minime præsente electio irrita sit (1). Electione rite peracta, qui id officii munus jam expleverint, rationem reddant de recta muneris, et bonorum administratione, quæ a Parocho, et a Sodalitatis Præfecto, vel ab alio viro ecclesiastico a Nobis probato, vel probando subscribenda, et adprobanda erit. Si ratione subducta debitores loco pio deprehendantur, spatium unius mensis concedatur, nisi aliter a Nobis, vel Vicario nostro mandatum fuerit, ad pecuniam apud novos Officiales deponendam. Quo expleto, si adhuc non satisfecerint, ne dum contra ipsos ad executionem procedemus; sed etiam perpetuo eosdem inhabiles declaramus ad hujusmodi officia, et ad alia munera in Confraternitate, seu Societate solita deferri, et voce activa, et passiva ipso facto privatos, ad quam reditus non fiet, nisi debito penitus extincto (2). Novorum Officialium descriptionem quælibet Societas, aut Confraternitas transmittat a Nobis adprobandam, et confirmandam sub pœna nullitatis, et aliis arbitrariis (3). Similiter ab omni administrationis Officio excludantur Sodales, qui loci ejusdem pii bona conducant, aut

(1) *S. Cong. Episc. 18. Julii 1594. Et ambæ Syn. nost. ibid.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(3) *S. Cong. Episc. 12. August. 1584. Et ambæ Syn. nost. ibid.*

aut qui ære alieno gravati sint, aut sub patria potestate adhuc vivant.

I X.

Locorum piorum fundamenta sunt reditus, quos integra fide administrare, summaque diligentia tueri opus est. Igitur omnes Confraternitates, et Societates intra bimestre a Synodi promulgatione teneantur (1), inventarium conficere omnium bonorum, et illa omnia perficere, quæ supra indiximus, quum de reditibus Ecclesiæ ageremus. Quod si tempore præstituto id facere prætermiserint, inventarium jussu nostro expensis Societatis conflabitur. Tabella autem onerum quorumcumque in loco publico pateat, in qua legata omnia, et onera describantur; addito etiam a quo fuerint instituta, quid Testator reliquerit, et a quo, et quo tempore instrumenta sint facta, prout alibi præscripsimus (2), et in sacra Visitatione sæpe inculcavimus. Proptérea (3) singulis annis, dum Officiales innovantur, et rationes supputantur, exquiret Parochus, an aliquod fuerit relictum, aut obvenerit ipsis Societatibus, et Confraternitatibus, idque ad Nos transmittetur reliquis documentis inserendum. At in illa etiam omnia Societatum, et Confraternitatum Administratores debent intendere, quæ aliis in locis de oneribus, et legatis, et indulgentiis præscripsimus, quorum observationem, absolutamque expletionem hoc loco et in memoriam redigimus, et perfici mandamus.

(1) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

(2) *Lib. II. Cap. VI. §. XVI.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

X.

Reditus, proventusque omnes in iis tantum impendi debent, quæ piæ testantium voluntati respondeant, nec in alios usus, etsi charitatis, et religionis ad arbitrium converti (4). Si qui reditus exsuperent adjuncta a testantibus onera, ii non in arbitrarios sumptus conferri debent; sed consensus noster requirendus est (5). Nullæ bonorum stabilium alienationes, permutationes, translationes, aut distractiones, Nobis inconsul-

(4) *Amba Synod. nost laud. ibi.*

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

consultis fiant, etsi perspicuas habeant utilitates. Omnem diligentiam ponant in conservandis juribus, fundis, reditibus Societatis, et in pecunia rite collocanda. De quibus, quum explicate egerimus, ubi de reditibus Ecclesiæ erat sermo (1), illa omnia huc revocari debent, et adamussim compleri volumus, et mandamus. Hinc sacra suppellex nullo modo detur in depositum, et pignus sive creditoribus, sive mutuum præstantibus (2): si Nobis inconsultis id fiat, præter arbitrarias pœnas, nedum oppignorantes ipsi, sed et pignus recipientes, si forte ad eamdem Societatem pertineant, e Sodalium albo excludentur (3).

(1) *Lib. III. Cap. IX.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(3) *Synod. ead. ibid.*

X I.

Ut ex ordine omnia fiant, optimum erit, apud unamquamque Societatem quatuor Libros digeri, et in tabulario servari. In quorum primo notentur nomina, et cognomina Sodalium, sive virorum, sive mulierum eo ordine, quo in sodalitium cooptati sunt. In altero reditus certi, et incerti cum fundis, seu sortibus, ex quibus fructus percipiuntur, nec non eorum exitus (4), additis etiam oneribus, si quæ fuerint injuncta, cujuscumque generis, maxime vero, si pro celebrandis Missis, aut Anniversariis, quæ tamen perpetua sine nostra consensione acceptari non possunt (5). Describantur in tertio decreta comitiorum, et eorum nomina, qui magistratu funguntur cum singulorum Officialium electionibus. In quarto demum recenseantur bona universa immobilia, et mobilia, adjectis ad singulas librorum descriptiones diebus, annis, et causis. Item in Societatis tabulario serventur ejus regulæ, edicta, decreta in Visitatione, vel extra eam condita, testamenta, codicilli, scripturæque omnes ad Societatem quomodolibet spectantes, et Indulgentiarum diplomata, quorum omnium index conficiatur.

(4) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

(5) *Ex decret. S. C. ab Urban. VIII. approb.* de Celeb. Miss.

X I I.

Dum sua agunt comitia, vel pro electione Officialium

lium facienda, vel pro negotio pertractando, secretis suffragiis rem transigant. Ita vero suam quisque sententiam dicat, ut omnes absint obtrectationes, æmulationes, et jurgia, quæ animorum concordiam discindant: et videant, ne aliqua affectione occupati saniora consilia rejiciant (1). Si quæ dissensiones inter sodales existant, ii, qui præsunt, curare debent, ut quamprimum restinguantur, pacemque concilient, cujus nomen dulce est, et ipsa res est salutaris. Quum non raro de præcedentia cum aliis Societatibus controversiæ exoriantur; vel inter Societates, et Parochos, vel inter Presbyteros Capellanos earumdem Societatum dissidia excitentur, hæc dirimi debent ex Gregorii XIII. Constitutione (2), et ex Decreto sacræ Congregat. Rituum (3), et ex Institutione magni nostri prædecessoris Benedicti XIV. (4), a cujus doctrinis numquam recedatur.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(2) Exposcit *anno* 1583.

(3) Urbis, et Orbis *anno* 1703.

(4) *Notif. XVII. Vol. V.*

XIII.

Nova sepulchra absque facultate nostra parati non debent, ut alibi ediximus: idcirco neque pro Sodalibus id fieri debet. Si tamen jam fuerint facta, vigeatque jus sepulturæ pro Confratribus in eorumdem Oratoriis, permittimus eosdem dumtaxat tumulari, servatis servandis (5), idque tantum, si a moriente sodali electio hujusmodi sepulturæ sit facta, et absque emolumenti detrimento Parocho defuncti debiti. Quod si Confrater moriens sponte sepulturam elegerit in Oratorio, assistat Parochus ejus Officio, et Missam cantet, modo tumulandus sit subjectus Parocho, intra cujus fines est Oratorium (6): idemque Parochus, cui Oratorium subest, Anniversaria celebret, quoties facienda sit absolutio: nec Capellanus Societatis jura parochialia perturbet sub pœna suspensionis ipso facto, aliisque arbitrio nostro infligendis (7). Nullus tamen Confratrum tacite, vel expresse alium invitet ad sepulturam in suo Oratorio, vel Ecclesia eligendam sub pœna re-

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

(6) Ex *dicto decret. Urbis, et Orbis ad Dub. XX.*

(7) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

na refectionis dupli earum obventionum, quæ pro inferendo, et humando cadavere Parocho obtigissent (1).

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

X I V.

Jam alio in loco, ubi de asylo Ecclesiæ disserebamus, prohibuimus, ne reum qualemcumque in suis ædibus asyli gratia exciperent sine expressa nostra facultate, idque iterum indicimus, et mandamus: id enim constat obesse potius, quam bono publico prodesse.

X V.

At Capellani Sacerdotes a Nobis adprobati, qui ad Sacramenta administranda sodalibus assumuntur, meminisse debent, se iis cœtibus esse præpositos, ut omni ratione, verbo, et exemplo, absque tamen jurium parochialium violatione spiritualem sodalium profectum inducant. Itaque omni studio enitantur, ut Societatis leges religiose observentur: ut omnes sodales diebus constitutis frequentes adsint, et Sacramenta devote, et frequenter percipiant. Hujus vero capitis decreta, et alia, quæ e re esse viderint, dilucide, et distincte explanent, curentque, ut factis, et moribus exprimantur. Dissidia, si qua sunt, revellant: nullum partium studium præseferant: diebus Dominicis, vel saltem solemnioribus verbum divinum administrent, vel alios ad id munus advocari faciant, ne hoc adjumento destituti, et vacui sodales in studio pietatis languescant. Die Dominica, festos dies, et jejunia per hebdomadam servanda denuncient. Denique satagant, ut omnia composite, et decore fiant, seque tamquam Angelos exhibeant sacri illius loci curationi destinatos.

X V I.

Sed quum provida insideat animo nostro omnium sollicitudo, qui a Christo Nobis concrediti sunt; tum maxima Nos urget in adolescentes, qui spes nostra sunt, ad pietatem informandos, qui nisi a teneris annis christianis præceptis imbuantur, divinarum rerum

 igno-

ignorantia detenti, et cupiditatibus abrepti nec sibi, nec Christianæ reipublicæ quidquam proderunt. Itaque quum in adolescentum institutionem vehementer intendamus, magnopere gaudemus, multa esse huc illucque constructa Sodalitia, quibus complures nomina dantes, præsertim adolescentes, et ad ea diebus festis convenientes, Dei, et Deiparæ Virginis laudes decantant, et ad pie vivendum erudiuntur. Nec satis laudare possumus eos Clericos, et Sacerdotes, qui tam præclaræ institutioni naviter dant operam. Pergant igitur iidem in tam frugifero, et fructuoso opere se exercere, et nihil prætermittant eorum, quæ inserendæ pietati deserviant: singulos sincera, sanctaque animi affectione complectantur: rudes expoliant: difficiles, et morosos leniter frangant, suavique Domini jugo assuefaciant. Novos semper exquirant modos ad tenellos eorumdem animos alliciendos: ad castitatis candorem servandum inflamment: in omne peccatum, et omnem turpitudinem perpetuum odium concitent: ad exhibendam magistris, et parentibus obedientiam hortentur, et ad sui status munera sedulo obeunda. Videant, ne depravatorum adolescentum consuetudine utantur: in obscœna verba, turpesque sermones invehi non desinant: idque præcipue contendant, ut ii amorem, devotumque animum concipiant erga Deiparam Virginem, ut in ejus clientelam commendati, periculosam adolescentiæ procellam devitent, et ad vitam christiano more traducendam se comparent. Hæc autem facile assequentur, si sacris sermonibus ad eorum captum, et fructum accommodatis singulis diebus festis eosdem informent, et excolant. Omnino autem sanctorum Sacramentorum frequentationem procurent, ut saltem quinto decimo quoquo die peccata sua quisque confiteatur, sacraque Synaxi singulis saltem mensibus reficiatur. Desides in frequentando Sodalitio inquirant, et increpent. Hæc si præstare perrexerint, ut faciunt,

Soda-

Sodalitia hujusmodi florere videbimus, ut *valles nemorosas* (1), *ut hortos juxta fluvios irriguos*, *ut tabernacula, quæ fixit Dominus*, *quasi cedros prope aquas:* et qui in hoc spiritualis culturæ genus incumbent, erunt de tota Christiana republica optime meriti, magnumque Deo præstabunt obsequium.

(1) *Numer. XXIV. v. 6.*

X V I I.

Restat nunc, ut aliqua proponamus de Eremitis; sed paucis quidem rem absolvemus, quod vix nonnulli ex hoc genere in aliquo Diœcesis angulo consistant. Hi ergo, et alii, si qui a Nobis admittentur, certa vivendi ratione contineri debent. Quum multa sint Eremitarum genera (2), qui ad rem nostram faciunt, ii sunt, qui nec religionem professi, neque ulli adscripti congregationi, nec votis illigati, a Nobis habitum eremiticum accipiunt, nostraque auctoritate alicujus Ecclesiæ servitio addicuntur, nostræque subsunt auctoritati, et obedientiæ, et fori privilegio gaudent. Idcirco nemo, nisi facultate nostra habitum gerere, et in hoc vitæ genere versari debet. Si qua iisdem permittitur eleemosynarum collectio, Nobis de iisdem rationem reddere tenentur.

(2) *Ex Bened. XIV. Lib. VI. de Syn. Diœces. Cap. III. §. 6.*

X V I I I.

Quænam vivendi instituta servare debeant, melius constare non potest, ut optime monet Benedicti XIV. (3), quam ex regulis in Appendice ad Concilium Romanum a sanctæ mem. Benedicto XIII. concinnatis, atque in eodem Concilio (4) singulis Episcopis propositis, et commendatis, ut ad earum normam suos diœcesanos Eremitas vivere cogant. Quædam vero ex his delibata esse possunt. Primo ut cælibem vitam, integram, modestam, et religiosam ducant, et illa observent, quantum ad eos spectare potest, quæ de vita, et honestate Clericorum mandavimus. In ædiculas suas nullas excipiant fœminas, neque criminosos homines, vel vectigalium fraudatores admittant. A ludis vetitis,

(3) *Loc. cit.*

(4) *Tit. XXII. Cap. II.*

et tabernis, et comissationibus se contineant. Singulis saltem mensibus pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramenta percipiant. Diebus festis catecheses in Ecclesia parochiali excipiant: suppellectilem Ecclesiarum, seu Sacellorum fideliter custodiant, et, ut omnia nitida, et munda sint, procurent. Sicut vero nullis hanc vivendi rationem permittemus, nisi quorum bonum nomen, probique mores explorati, et perspecti sint; ita, qui habitu suscepto ab officio, obedientiaque decesserint, pœnis plectentur, et, si opus fuerit, ad habitus, et muneris dimissionem adigentur.

CAPUT VII.

De Hospitalibus.

I.

NOstra hæc Urbs non solum plurimis decorata fuit privilegiis, et soli ubertate, incolarum ingeniis, divitiis, ædificiis, litterarum splendore, civium affluentia insignis semper, et illustris exstitit; sed religione, quod præcipuum est, et pietate floruit; charitate vero in omnes sic præstitit, ut fere nulli hac in re Civitati cedat, paucæ pares inveniantur. Nam hospitales domos tam multas apertas habet, ad vitæ hujus molestias abstergendas, levandasque calamitates, ut nullum fere sit miserorum genus, quod non singulari pietate, et benevolentia complectatur. Habet hospitales domos ad excipiendos advenas, et peregrinos, ad infantes expositos, desertosque alendos, et educandos, ad ægrotos curandos, ad eos, quorum, exacta jam ætate, vires consenuerint, atque defecerint, conservandos, ad eos, qui orbati sunt parentibus, educationis disciplina regendos, ad eos, qui omnibus humanis subsidiis destituuntur curandos, et sublevandos, ad male moratos coercendos,

cendos, ad ipsos mente captos custodiendos, ut civitas ipsa flere cum flentibus videatur, neminemque sentum, squallidum, ægrum, pannis, annisque obsitum abjiciat: quod est eximium ejus christianæ charitatis argumentum. Hæc autem singula charitatis domicilia suas habent constitutas leges, et sancta præscripta, quæ accurate servari volumus, et jubemus. Permulta etiam nostri Prædecessores tradidere decreta, Cardinales Gabriel Palæottus (1), Hieronymus Columna (2), et Jacobus Boncompagnus (3), qui tot salutaribus institutis domorum hospitalium utilitati prospexerunt, ut pene nihil adjungere possimus, et ex antiquatis tantum nova facere contenti esse debeamus.

(1) *Archiepiscopal. Bonon. P. V.*
(2) *Synod. P. II. Cap. XV.*
(3) *Synod. Lib. IV. Cap. III.*

II.

Et primo in harum domorum administratione illa omnia servanda sunt, quæ de bonis Ecclesiæ tuendis generatim indiximus libro superiori, de inventario conficiendo post Synodi promulgationem, de earumdem bonis non alienandis, de iisdem bene locandis, de juribus vindicandis, deque aliis quamplurimis, quæ has hospitales domos attingunt. Iis vero tantum harum domorum administratio concedatur, qui triginta annis majores sint (4), qui optimis sint moribus, et ardenti in proximum charitate, qui ære alieno gravati non sint, nec egestate premantur, qui legere, et scribere non ignorent. Quales Hospitalium Præsides esse debeant, describit Clemens V. (5), qui ait: *eorum gubernatio viris providis, idoneis, et boni testimonii committatur, qui sciant, velint, et valeant loca ipsa, bona eorum, ac jura utiliter regere, et eorum proventus, et reditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, et quos in usus alios bona prædicta convertere præsumptio verisimilis non existat ... Illi etiam, quibus dictorum locorum gubernatio, seu administratio committetur, ad instar tutorum, et curatorum juramentum præstare, ac de locorum ipsorum bonis inventaria conficere, et Ordinariis, seu aliis,* quibus

(4) *Tres laud. Prædecess. nost. ibid.*
(5) Cap. Quia contingit. *tit. de religios. domib.*

quibus subsunt loca hujusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem. Itaque hi Præsides quicumque, et quocumque nuncupentur nomine, alios habere socios administrationis debent, et cum iis singulis mensibus (1) consultare, et deliberare debent, quæ rectæ administrationi opitulentur, ut nullæ expensæ fiant, nisi ad testatorum, et benefactorum voluntatem, ut bona conserventur, et amplificentur, ut omnia ordinate, sancteque fiant: et communi consilio, ad omnia præcavenda incommoda, opportuna remedia perquirant.

(1) *Laud. Prædecess. nost. ibid.*

III.

Sæpe domicilia, cubicula, parietes, tabulata, contignationes (2), ut diligenter expolita, et munda custodiantur, invisant: præcipue vero vigilent, ut Hospitalis cujusque suppellex ea compositione, ac nitore fulgeat, ut diutius conservetur, nec oculos offendat, non humi projecta, non incomposite occlusa, non ubi facile corrodi possit. Ubi quid fœdum, vel ab urbana charitate alienum sint nacti, statim imperent auferri, vel immutari. In singulis (3) sacræ imagines appensæ videantur: item aquæ benedictæ vascula sint muro affixa. Neque Hospitalis suppellex cuipiam comodari possit (4), neque confratribus, aut sodalibus.

(2) *Iidem Prædecess. nost. ibid.*

(3) *Card. Palaottus ibid.*

(4) *Idem ibid.*

IV.

Quum locorum piorum bona non ad arbitrium impendi debeant, sed adamussim juxta testantium voluntatem, in arbitrarias eleemosynas conferri non poterunt (5). Si autem ex eorumdem dispositione dotes aliquæ puellis erogandæ sint, easdem ad testatorum conditiones attribuant, non privatis affectionibus, aut commendationibus incitati. Quod si quis Officialium, cujuscumque conditionis, et qualitatis extiterit, omnium, et quorumcumque locorum piorum ob dotem alicui puellæ destinatam, assignatam, et solvendam, de eadem dote participaverit, sive tacite, sive expresse, et sub quo-

(5) *Tres laud. Prædecess. nost. ibid.*

sub quovis colore, et prætextu, verbo, vel facto convenerit de parte dotis assignanda, cedenda, donanda, non exigenda, aut tertiæ personæ equivalenter tradenda, statim excommunicatione Nobis reservata Officialis afficiatur (1). Cui censuræ subjectos volumus, et declaramus eos pariter Officiales, qui intendentes participare de dote, vel suffragia extorquendo, vel de iisdem paciscendo ita inter se convenirent, ut omissis puellis, quarum indigentia, et causa melior deposceret, indignis dos conferatur. Puella vero, vel fœmina, quæ verbo, vel facto consenserit, et pactum inierit de remittenda parte dotis, ut supra, ipso facto spoliata remaneat jure consequendi assignatam dotem.

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

V.

Quælibet hospitalis domus suum habeat Œconomum (2), vel quocumque alio vocetur nomine, a tota Societate, vel Congregatione eligendum, et quidem incorruptæ famæ, fideique, qui rationem dati, et accepti, statis temporibus, collegis suis reddat. Quæ majoris momenti fuerint, cum iisdem communicabit: pecuniam Depositario tradet; non exiget autem pecuniam, nisi suæ administrationis tempori congruentem. Si ex urgenti causa alia sit expromenda, de mandato, consensuque totius Congregationis id fiat (3). Anno expleto intra quindecim dies, aut saltem intra mensem (4) collegis rationem reddet suæ gestæ administrationis, in quam immitti iterum non poterit, nisi de peractæ administrationis integritate constiterit.

(2) *Tres laud. Prædecess. nost. ibid.*

(3) *Iidem Prædecess. nost. ibid.*

(4) *Iidem ibid.*

V I.

Non minori fide, et integritate præditus eligendus est Depositarius. Data, et accepta describet in libro: syngraphas diligenter custodiat: pecuniam ad solas Hospitalis commoditates, et necessitates impendendam tradet. Caveat, ne quid pecuniæ ad Hospitale pertinentis in suum, vel aliorum quorumcumque usum, et commo-

commodum impendat. Mandati fines ne prætergrediatur, aliter de suo fecisse expensas judicabitur.

V I I.

(1) Iidem ibid.

Denique et Custos deligendus est (1), matura jam ætate, et quoad fieri potest, matrimonio adstrictus, cui vita antea honeste, probeque acta existimationem conciliet, qui comis sit, et benignus, et industrius, et sedulus, et miserorum curator attentus esse possit. Eidem, in suo munere capessendo, rerum omnium mobilium, et totius domesticæ suppellectilis inventarium a testibus præsentibus obsignatum consignabitur, quo, si quid ejus incuria deperierit, coargui possit. At hi Officiales, aliique, quorum fidei pecuniæ, et res loci pii commissæ sunt, idoneas cautiones præstare omnino teneantur.

V I I I.

(2) Iidem ibid.

Eligatur quoque a Congregatione (2), cui id negotii detur, ut in uno libro describat acta Congregationis, sive Hospitalis, die, mense, et anno appositis; et quæcumque decreta sive a Nobis, sive a Vicario nostro, sive a Visitatoribus nostris emanata: itemque innovatos Officiales, rationes redditas, approbatas, vel ad censuram revocatas, vel improbatas, et a quibus, et coram quibus recognitas, et subscriptas; in altero vero inventarium a se, vel ab alio confectum bonorum cum mobilium, tum immobilium, et cujuscumque suppellectilis. Instrumenta item, et locationes in eo accurate notabit, addito nomine Notariorum, qui de iis rogati fuerint.

I X.

At in Hospitalibus infirmorum levamini destinatis, maxima diligentia curandum est, ne quidquam desit infirmorum valetudini recuperandæ accommodatum. Quod a Medicis præscribetur sine ulla tergiversatione paretur: et vigilent Præsides, ne famuli lente, et remisse suum obeant ministerium. Quælibet Hospitalis domus

domus (1) Sacerdotem habere debet, doctrina, et morum probitate præstantem, de animarum salute sollicitum. Itaque ut primum quis in Valetudinarium devenerit, sit præsto Sacerdos, præsertim si graviori morbo conflictetur, eumdemque ad conscientiam expiandam leniter adducat, et bene comparato sacram Eucharistiam administret: et morbo ingravescente cetera admoveat ex Ecclesiæ præscripto salutaria animi remedia, nec eum deserat, donec excesserit. Quod jam sanxit pro Urbis Valetudinariis Clemens XI. (2), id in nostrorum Hospitalium curatione retinebimus: scilicet, si quis infirmus, Officialium socordia, absque Sacramentorum præsidio diem clauserit, ii officii privatione, aliisque arbitrariis pœnis punientur. Qui vero malam valetudinem bona permutaverint, ne nimis cito dimittantur, ne in morbum periculosius recidant.

(1) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

(2) Decr. et Ordin. edit. 31. Jan. ann. 1714.

X.

Quum in Valetudinarium se recipiet infirmus, Custos ea omnia, quæ ad ipsum spectant, depositi loco testibus præsentibus excipiet (3), et suo loco servabit. Si morti appropinquaret, et testamentum condere vellet, eos advocet, qui rem e præscripto conficiant. Nomina vero eorum omnium (4), et singulorum, qui in Hospitalibus quibuscumque excipiuntur, et cognomina, patria, locus, dies, mensis, et annus distincte recenseantur, et quando ex hac vita quis demigraverit, diligenter in librum referatur obitus ejus, ut testimonium forte petitum dari possit iis, quorum interest, ad contrahenda matrimonia, et hæreditaria bona in suis regionibus adeunda.

(3) Synod. Jacob. Boncomp., et Hieronym. Column. ibid.

(4) Ambæ Syn. nost. laud. ibid.

X I.

Qui peregrinorum Hospitalium custodiam gerunt, videant, quos in hospitium recipiant. Exquirant eorum nomina (5), et cognomina, et unde venerint, quo tendant, an opportunis commendatitiis, et documentis muniti sint de Sacramentorum perceptione, de-

(5) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

que catholica fide, quam profiteantur. Perhumaniter eos excipiant, et officiis prosequantur; vagos tamen, circulatores, errabundos, criminosos explodant, et multo magis hæreticos. Mares a fœminis sic divident, ut nullus accessus pateat: nec fidem adhibeant esse conjugatos (1), nisi ex authenticis, et perspicuis attestationibus id plane constiterit. Pueros quoque, et adolescentes a viris segregabunt, et indecora quæque arcebunt. Si quem libidinosum, aut depravatum per errorem irrepsisse compererint, deprehensum ejiciant. Porro qui hoc munere defungentur, scribere, et legere sciant, ut adventantium documenta cognoscere possint, et eorumdem nomina describere. Si quis in Xenodochio ægrotaverit (2), ibidem eum retineant, et summa charitate complectantur, quæque necessaria fuerint, subministrent, donec vel se recipiat, vel ad aptiorem locum traducatur. Si vero graviori morbo corripiatur, et demoveri sine periculo non possit, advocent Capellanum, si adsit, vel Parochum, ut ejus æternæ saluti provideatur, et illa omnia pro eo gerantur, quæ supra diximus facienda illis, qui in Valetudinariis ultimum diem obeunt.

(1) *Card. Palaott. ibid. Et Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

(2) *Synod. Hieronym. Column. ibi.*

XII.

Ceterum quum tot sint Hospitalia, et tot diversis muneribus destinata, nec in generali præscriptione illa omnia indicari possint, quæ accuratam illorum administrationem exprimant, reliquum est, ut in singulis singulorum leges jam sancitæ, et præscripta integre serventur, quod volumus, et mandamus, utque quæ a Nobis pro singulis decreta sunt, retineantur. Id tamen ab omnibus omnium Hospitalium Administratoribus exigitur (3), ut singulis annis administrationis rationem Nobis reddant, et illud præterea, ut illorum administratio, ex Tridentinæ Synodi decreto (4), ultra triennium non protendatur, nisi aliter in fundatione cautum reperiatur.

(3) *Ex Clemente V. loc. cit. Et tres nost. Prædecess. laud. ibid.*

(4) *Sess. XXV. Cap. VIII. de Reform.*

CAPUT

CAPUT VIII.

De Montibus Pietatis.

I.

TAnta est Ecclesia in suos pietate, et charitate, ut non solum animarum saluti, æternæque filiorum suorum felicitati consulat; sed commodis etiam vitæ præsentis prospiciat, et a miseriis, quantum fieri potest, vindicet, ut alacriori animo tamquam filii bene morati sibi obediant, et in virtutum amore studiosius exardescant. Atque ob eam causam ea domicilia institui voluit, quæ Pietatis Montes dicerentur, in quibus sincera in pauperes pietas hospitaretur, ne egestate stimulante graves usuras pendere cogerentur. Atque hi licet per laicos administrentur, Episcoporum tamen auctoritati subduntur ex Concilii Tridentini præscripto (1), ut ecclesiasticæ pietatis accessione pauperes minus lædantur. Et quidem optaret Ecclesia, ut pauperes nullo gravamine pressi, præter sortem nihil reddere tenerentur; quia tamen multas impensas facere hi Montes coguntur in ædificiorum constructionem, et conservationem, et in ministrorum sustentationem erogandas, Leo X. in Concilio Lateranensi quinto (2), sacro approbante Concilio, prædictos Montes licitos, atque ab omni usuræ labe immunes pronunciavit: siquidem quod ultra sortem a mutuatariis exigitur, non causa mutui, sed alio nomine repetitur, præcipue ut sine Montis detrimento congrua merces assignetur ministris, qui non sine magno labore pignora custodiunt, excutiunt, expendunt, et alia hujus generis multa præstant in favorem mutuatariorum. Hinc in more positum est, ut Mons pietatis modicum quid ultra sortem recipiat, nisi de pignore exigui valoris agatur, residuum vero Domino reddatur.

(1) Sess. XXII. Cap. VIII. et IX. de Reform.

(2) Sess. X.

II.

Optimis legibus, sanctisque institutis firmati, et muniti sunt Montes hujusmodi. Hæc, quorum interest, tueri, et accurate servare debent (1), sicut et decreta quæcumque a Nobis, vel a Prædecessoribus nostris emanata: nec animadvertere omittemus, si quid dilabatur, vel quid minus rectum, aut obliquum fieri contingat. Ad id munus non deligantur, nisi viri industrii, probatæque fidei, notæque in pauperes benignitatis. Caveant autem hi, qui electi fuerint (2), ne partam, auctamque, quacumque ratione, pecuniam in alios usus, quam in pauperum commoda, subsidiumque convertant; aliter in excommunicationem incident ipso facto, et summo Pontifici reservatam ex Constitutione Paulli V. (3) Nec iis licebit umquam pecuniam cuiquam mutuo tradere, ne ad breve quidem tempus, etsi pecunia Mons abundaret, et absque ejus detrimento fieret: quippe solis vere pauperibus adjuvandis destinata est. In quam rem Nos animum attendemus, ne fraudentur pauperes, et divites luxurientur.

III.

Pecunia tradita non adæquet pretium pignoris (4), sed semper infra sit, eaque mensura servetur, quæ in hujus Montis institutis definita est. Facilis, non difficilis venditionis sint deposita, quæ oppignerantur: nec liberata pignora (5) statim iterum data pecunia suscipiantur, nisi de extrema necessitate agatur: nam fraudi hoc esset, pioque loco detrimento.

IV.

Officiales, et Depositarii (6) per se, non per interpositas personas munus suum gerant. Si quod damnum ex ipsorum negligentia obveniat, ad illud reficiendum arctabuntur. Rationem dati, et accepti, sicut Tridentina Synodus præcipit (7) singulis annis Nobis, vel Vicario nostro reddent, si de Montibus Civitatis agatur; in Civitate vero Centi, ac in Terra Plebis Com-

(1) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. III. Et Hieronym. Column. P. II. Cap. XVI.

(2) Laud. Syn. nost. ibid.

(3) Incip. Onerosa ann. 1615.

(4) Amba Syn. nost. laud. ibid.

(5) Ead. Syn. nost. laud. ibid.

(6) Ead. Syn. ibid.

(7) Sess. XXII. Cap. IX. Et XXV. Cap. VIII.

bis Commissario nostro. In aliis Diœcesis Oppidis Vicariis foraneis.

V.

Nemini liceat (1) præter delectos administros libros evolvere, in quibus coalitæ pecuniæ, vel pignorum descriptio contineatur. Singulis autem mensibus (2) dispiciantur pignora, et ea maxime, quæ rodi, absumique possint.

(1) *Amb. Syn. nost. laud. ibid.*

(2) *Ead. Syn. ibid.*

VI.

Pignora ab filiis familias oblata, vel ab Hebræis, etsi sub alieno nomine ne excipiantur, neque etiam illa omnia, de quibus prudens suspicio sit, furto (3) ablata esse. Res quoque Ecclesiæ, pignori datæ, nisi facultas nostra de scripto accesserit, omnino repudientur, etsi oppignerantes se apostolica facultate munitos allegarent: quippe res tota a Nobis semper agnoscenda est, et scripto nostro obsignanda (4).

(3) *Ex Stat. Montis Cap. II.*

(4) *Bened. XIV. Not. II. Vol. IV.*

VII.

Divendi pignora non debent, nisi publicis edictis propositis (5), ut quisque, si velit, sua pignora redimere possit, fraudesque, et doli præcidantur: et fas sit cuique licere, et contra liceri, præterquam Montis ipsius administris, et Præsidibus, ut malas suspiciones vitent, neve ceteri emptores deterreantur, et ii sibi parvo pretio vindicent pignora. Quod si licitari ausi fuerint, aut non dederint aliis ad licitandum locum, idque sive per se, sive per interpositas personas gesserint ad sui commodum, et utilitatem, ipso facto excommunicatione irretitos volumus (6). Exacta vero pecunia in libro descripta restituatur deponentibus, quoad eam partem, quæ mutuum excedat.

(5) *Amb. Syn. nost. laud. ibid.*

(6) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

VIII.

Depositarius autem, custosque pignorum, eorumque æstimator in officio capessendo spondeant, se in suo munere diligentem operam collocaturos, et statas leges observaturos, rationemque redditures peractæ admini-

ministrationis: cautionem etiam idoneam exhibeant de damno sarciendo, si quod loco pio obveniret.

I X.

Arcam, in qua vel deposita, vel Montis pecunia sit, duæ saltem custodiant claves, quarum una sit apud Præsidem, altera penes Depositarium: neque aperiatur, nisi utroque præsente, et consentiente.

CAPUT IX.

De Collectoribus Eleemosynarum.

I.

PErvagari huc illucque solet quoddam hominum genus avide concursans, quæstum anhelans, occupatum in otio, et multa agendo nihil agens, sibi molestum, et aliis odiosissimum, quod ementitis coloribus simplicium, et credulorum aures capit, et eleemosynas extorquens, alienis vivit laboribus, et non raro vitiis, helluationibus, licentiæque indulget. Hos noxios eleemosynarum quæstores, improbosque ardeliones profligare non destitit Tridentina Synodus (1); sed sanctas leges facile contemnit sordidis quæstibus intenta cupiditas. Quare Vicarii foranei, Parochique omnes, neque in Civitate, neque in Diœcesi permittant quemquam (2) sub quovis prætextu, ac privilegio eleemosynas conquirere, nisi facultate nostri Vicarii de scripto data munitus sit, et eo magis ab eo quæstu faciendo eosdem removeant, si miracula jactitent, vel indulgentias, et privilegia venditent eleemosynas suppeditantibus, vel si reliquias, et imagines sacras circumferant, et ad osculandum porrigant, vel prædicare præsumant. Quod si homines hujusmodi (3) quæstiunculis de Religione propositis populum tenerent, et quidquam vel bonis moribus, vel fidei adversum disseminarent, eosdem

(1) *Sess. V. Cap. II. Et Sess. XXI. Cap. IX. de Reform.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. VII. Et Hieronym. Columna P. II. Cap. XVII.*

(3) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

eosdem ad Nos, vel ad fidei Quæsitores deferant, ne malum invalescat. Qua de re videatur etiam Edictum nostrum in Appendice (1).

(1) *Ad Lib. I. Num. II.*

I I.

Ne Regularibus quidem pauperibus (2) licitum volumus eleemosynas corrogare, præsertim si sui Ordinis hospitium nec in Civitate, nec in Diœcesi habeatur, nisi peculiarem facultatem de scripto nostram exhibuerint. Atque idem dictum intelligatur de extraneis Monialibus, quam facultatem non facile concedemus, quum tot necessitatibus undique premamur. Ii vero omnes ad Monasteria Monialium, Nobis expressa facta eorum mentione non concedentibus, eleemosynæ eliciendæ causa ne accedant.

(2) *Synod. Hieronym. Column. ibi.*

I I I.

Arcendi sunt quoque Parochorum vigilantia fraudulenti quidam, et verius circumforanei homines dicendi, quam medici (3), qui morbos hominum, aut belluarum, signis adhibitis, verbis, et benedictionibus, curare se jactitent, et multo magis, si superstitiosum quid interjiciant, doceantve faciendum. Hi enim emungunt simplices, præsertim rusticos, eosque pravis opinionibus inficiunt, et nihil faciunt ad salubritatem. Hos inultos esse non patiemur.

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

I V.

Qui colligendis pro locis piis eleemosynis dant operam, ne importunius corradere eas conentur. Numquam per Ecclesias circumeant; sed ad fores consistant (4): et constituta mercede, a Nobis adprobata contenti sint; nec terminos (5) Diœcesis, vel temporis definitos prætergrediantur. Absint vero quæcumque conventiones cum locis piis, quod alibi etiam indiximus, quas si iniverint, pœna carceris, et eleemosynarum jactura multabuntur: iisdemque pœnis comprehensos etiam volumus, qui in superioribus deliquerint (6).

(4) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

(5) *Ead. Syn. ibid.*

(6) *Ead. Syn. ibid.*

CAPUT

CAPUT X.

De ultimarum voluntatum Executione.

I.

SEd et Tridentina Synodus mandat Episcopis (1), *ut etiam tamquam Sedis apostolicæ Delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint executores.., ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant, et exequantur.* Nos itaque officii nostri partem negligere non possumus, sed diligenter persequimur. Idcirco Parochos, et Concionatores exhortamur, ut modis omnibus fideles inducant ad decedentium ultimas voluntates omni studio perficiendas, doceantque, a christiana pietate, et charitate alienissimum esse pias eorumdem dispositiones infringere, aut præterire. Equidem nefarium illorum crimen, qui testamenta occultant, comburunt, abjiciunt, vel post annum legata pia quæcumque per culpam executioni non dederint, Nobis reservatum voluimus.

(1) *Sess. XXII. Cap. VIII. de Reform.*

II.

Onera Missarum vel perpetua, vel temporanea magnam efficiunt piorum legatorum partem. Itaque celebrandæ sunt Missæ quoad numerum, tempus, altare, et quoad alias circumstantias, prout a testatoribus impositum est (2): aliter muneri suo Sacerdotes, vel testamentarii executores non facerent satis. Quod si aliquando constituto fundo pro Missis celebrandis, earum numerus a testatore non assignetur, aut quæ præbenda sit eleemosina non præscribatur, non hæredum arbitrio, sed nostra auctoritate de his erit decernendum (3). Si Ecclesiam, cui Missarum onus impositum sit, non indicaverit, Ecclesia intelligenda est, in qua

(2) *Vid. Lib. II. Cap. VI. §. XV. etc.*

(3) *S. Congr. Conc. approb. Urb. VIII. ad Dub. 2. et 5.*

qua tumulatus fuerit. Si a testatore optio sit data hæredibus, vel Parocho eo in casu, ne umquam extra Diœcesim nostram, Nobis insciis, celebrentur. Denique si dubitatio aliqua, ob interpositas circumstantias, de his excitetur, aut executioni mandari aliquid non poterit, non est privata auctoritate quidquam definiendum; sed Nobis obnunciandum, qui re bene discussa quid sit agendum, decernemus.

III.

Regulares porro meminisse debent, se non posse executoris ultimarum voluntatum munus suscipere, et exequi (1), nisi a suis Superioribus, quibus suæ voluntatis arbitrium devoverunt, petita, obtentaque facultate. Denique noverint Notarii quicumque tam Civitatis, quam Diœcesis sibi impendere excommunicationem latæ sententiæ, Nobisque reservatam, si intra mensem a die rogitus, vel aperitionis testamenti Cancellariæ nostræ notitiam non tradant legatorum, et substitutionum, quæ ad quæque loca pia pertineant, ut alibi indiximus (2).

(1) *Cap.* Religiosus *tit. de Testam. in* 6.

(2) *Lib. III. Cap. IX.* §. *III.*

CAPUT XI.

De Ludimagistris.

I.

INfecta peccato originis natura virus suum explicare incipit in pueris, et nisi tempestivis remediis sanetur, apertius illud evomit, traducitque in subsequentes ætates (3). Puerorum vitia effingit, narratque divus Augustinus (4) in se ipso adhuc puero, et non bene morato: *fallebam*, ait, *innumerabilibus mendaciis et Pædagogum, et Magistros, et Parentes amore ludendi, studio spectandi nugatoria, et imitandi ludicra inquietudine. Furta etiam faciebam de cellario Parentum, et de mensa,*

(3) *D. August. Lib. I. Confess. Cap. XIX.*

(4) *Ibid.*

vel gula imperitante, vel ut haberem, quod darem pueris, ludum suum mihi, quo pariter utique delectabantur, tamen vendentibus. In quo etiam ludo fraudulentas victorias ipse, vana excellentiæ cupiditate victus, sæpe aucupabar. Adolescentia vero nec coercita, nec emendata transcurrit latius ad cupiditatum illecebras, et ad vitiorum turpitudines inflammato studio rapitur, ut de adolescentibus dicat idem sanctus Doctor: (1) *Paucissimi sunt tantæ felicitatis, ut ab ipsa ineunte adolescentia nulla damnabilia peccata committant*. Pueri igitur, et adolescentes in disciplinam Magistris traduntur, ignorantiæ tenebris obvoluti, et pravis affectionibus impliciti, ut ne dum litteris imbuantur, sed quoque ut pravis cupiditatibus, et erroribus expurgati ad pietatem sensim instituantur. Ex quo efficitur, ut Magistri, ne dum doctrina præstare debeant, sed et vitæ integritate, firmaque fide præditi esse. Neque eos emolumentis tantum, vitæque commodis suos labores metiri oportet, sed progressionibus in bonos mores, virtutesque eorum, qui sibi in disciplinam dati sunt.

(1) Lib. XXI. De Civit. Dei Cap. XVI.

II.

Itaque in admittendis ad puerorum, et adolescentum institutionem Magistris, ne dum ingenii, et doctrinæ, sed anteactæ etiam vitæ ratio habeatur, ut ab iisdem tum solida, piaque doctrina, tum bona quoque exempla proficiscantur: ideoque nulli liceat hoc docendi munus suscipere, nisi Nobis approbantibus (2), et facultate a Nobis, vel Vicario nostro de scripto obtenta (3), quæ, post emissam fidei professionem, expedietur. Quicumque autem aut sine facultate, aut non emissa fidei professione scholam aperire præsumpserit, multabitur aureis decem (4).

(2) Trident. Syn. Sess. V. Cap. I.
(3) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. VI.
(4) Synod. ead. ibi.

III.

Optimos quosque libros legendos, explicandosque pueris, et adolescentibus proponant; sed vetitos, aut suspectos de Religione tractantes nec legant ipsi,

nec

nec explicent, nec legendos tradant. Libros etiam amatoria, impudica, et obscœna, et minus verecunda continentes in discipulorum manus venire minime patiantur, etsi ab optimis scriptoribus profectos, ne plus moribus noceant, quam prosint ingeniis (1). Nihil est curandum magis in illa ætate, ut docet divus Joannes Chrysostomus, quam ut casti, et pudici sint; nihilque cavendum magis, quam ne ulla excidat scintilla, qua, tamquam stipula, et fœnum, incendantur (2). Maneant igitur in perpetua quadam custodia eorum puerorum, et adolescentum, qui sibi commissi sunt, nec oculos umquam ab iis avertant. Nam hi ita sunt comparati, ut simul atque Magistri despexerint, fere semper ab officio recedant, et aliquod indecorum moliantur. Nulla porro major pestis invadere in scholas potest, quam si qui perditis moribus adolescentes, verbis nefariis, pravisque exemplis alios pervertant. Si quem hujus generis videant, e schola ejicere minime cunctentur, ne illorum consortio ceteri depraventur.

(1) Synod. Roncomp. ibid., et Hieronym. Column P. III. Cap. X.

(2) Serm. I. ad Anna.

I V.

Quum se dederit occasio, de rebus divinis sermonem interserant, e Sanctorum vitis exempla proferant, et semina pietatis jaciant: sæpe ad obedientiam parentibus præstandam, ad sacras conciones audiendas, ad Sacrum quotidie frequentandum (3), ad expiandam Sacramento pœnitentiæ conscientiam, ad Deiparæ Virginis officium recitandum sedulo adhortentur. Omnino autem, ut alibi diximus (4), singulis hebdomadis saltem per horæ dimidium Doctrinæ christianæ rudimentis discipulos instruant. Sit in unaquaque schola Christi e cruce pendentis, vel Virginis Deiparæ imago (5), cui in ingressu, et egressu discipuli debitam reverentiam exhibeant. Cum pia aliqua prece litterarias exercitationes inchoent, easdemque concludant, exigantque a pueris singulis diebus precationis dominicæ, salutationis angelicæ, et Symboli apostolici recitationem (6).

(3) Amba Syn. nost. laud. ibid.

(4) Lib. I. Cap. IV. §. IV.

(5) Amba Synod. nost. laud. ibi.

(6) Ead. Syn. nost. ibid.

V.

Sed illud præcipue advertere debent, qui ad scholæ institutionem sedent, ut nihil dicant, vel faciant, quod non e sanctitatis, et gravitatis norma dimanet: pusilla enim ætas facillime scandalo afficitur, et in majorum exempla provolat. Si animadvertere in aliquem debent, nihil dicant acerbius, nec contumeliosius, neque ex animi perturbatione, impulsuque vindictæ: omnis quippe animadversio, et castigatio contumelia, et ira, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest, vacare debet, neque ad ejus, qui punit, ultionem, sed ad ejus, qui punitur, emendationem referri debet. Turpe autem esset Magistrum eo ordine, et gradu, iracundiæ æstu abripi, verbisque, et gestibus absonis inclusam animo perturbationem ostendere. Gravius fere peccant qui ita pueris irascuntur, quam ii ipsi, quos objurgandos, castigandosque suscipiunt, et pueris ipsis insipientiores se produnt, ut recte inquit divus Joannes Chrysostomus (1): *si autem et tu exacerbaris, factus es puer*. Et revera stultiores sunt pueris qui irascuntur.

(1) *Homil. XXII. In Epist. ad Hebraeos.*

V I.

Atque hæc, quæ diximus circa morum institutionem, et Doctrinæ christianæ traditionem observari volumus etiam ab iis fœminis, quæ puerulos, et puellas instituunt. Hoc autem munus non aggrediantur absque Parochi facultate, qui honestas tantum, optimisque moribus instructas admittent. In hisce autem scholis, quoad fieri potest, ne simul pueruli edoceantur, et puellæ: et certe in diversis scholis consistant, ubi sex annos ætatis excesserint.

V I I.

Jam in vicis, et pagis Diœcesis volumus, ut Magistri conducantur, ne pueris, et adolescentibus ibi existentibus institutio desit. Deligantur vero, qui non minus morum, quam doctrinæ laude commendentur:

et illa

et illa omnia præstent, quæ de Magistris hucusque præscripsimus; subeantque examen coram Vicario foraneo, vel alio a Nobis deputato, ab eoque approbationem accipiant, quæ a Nobis erit confirmanda. Quoad reliquas Parochias, huc illucque dispersas, hortamur in Christi visceribus Parochos, ut ipsi hoc charitatis officium præstent, pueris rudimenta tradendo, uberem a Deo mercedem consecuturi, quos a petenda facultate, aut a subeundo examine absolvimus (1).

(1) *Synod. Jacob. Boncomp. ibi.*

CAPUT XII.

De Medicis.

I.

QUum ex Adæ peccato responsum mortis omnes habuerimus, et innumerabilium morborum obsidione brevi hoc intervallo temporis, quo mors protrahitur, corpora nostra exagitentur, clementissimo consilio indulsit Deus, ut Medici, multis conquisitis remediis, fugientem quasi vitam aliquantum retinerent, donec eam largiri Deo placuerit, in cujus manibus vitæ nostræ momenta decurrunt. Sunt igitur medicæ artis Professores, quasi vitæ nostræ adjutores a Deo constituti, et, ut Sapiens ait, honorandi sunt, utpote propter necessitatem a Deo positi. Præstantissimum itaque munus est Medicorum, qui divinæ providentiæ administri sunt, et humanæ infirmitatis solatium, et levamen, quorum, Deo dante, magnum numerum, et doctrina celeberrimos habuit semper, habetque in præsentia Civitas nostra. Quia vero ejus præclaræ artis exercitatio cum animarum salute cognationem habet, prætermittere non possumus pro nostro in omnium utilitatem studio, quin ad ipsorum memoriam revocemus Constitutiones pontificias, sanctionesque a nostris Prædecessoribus

ribus latas, et nostras etiam binas litteras, ad eosdem datas (1), quæ illos sigillatim attingunt.

(1) V. Id. Feb. 1777., et V. Kal. Mart. 1778.

II.

Equidem, qui in hac arte præclara versantur, ut parta per summos labores doctrina ad medendum corporibus comparati accedunt; ita optamus, et volumus, ut animi incolumitatis, perpetuæque ejus vitæ memores sint, et data occasione, opportunas monitiones ne prætermittant. Sicut enim (2) admonere pergunt, quos sanandos susceperunt, ut a nimio solis æstu, a vino austeriori, ab acerbioribus pomis, atque eduliis noxiis abstineant; sic instruere possunt, ut animi morbos, ac vitia declinent, e quibus corporis ægritudines sæpe solent existere. Ita fiet, ut ipsorum beneficio homines illa duo maxima, et generi mortalium optatissima bona consequantur, ut sana mens sit in corpore sano. Et quia medica facultas pietatis, et charitatis in proximum plena est, ejus exercendæ plures sese offerunt occasiones, præsertim erga pauperes. Sicut igitur a pecuniosis, et locupletibus par est, laboris, et industriæ mercedem Medicis exsolvi; ita nec Medici ipsi pauperes, et tenues deserere debent, sed sedulo invisere, et omni officio charitatis prosequi, perinde ac Christum ipsum foverent, ut aliqua saltem ex parte (3) sanctos Martyres Cosmam, et Damianum imitentur, qui gratis, et nulla mercede accepta medebantur. Etsi enim in præsenti vita mercede frustrentur; longe tamen uberrimam, et coacervatam, et supereffluentem in futura percipient.

(2) Card. Palæottus Archiepisc. Bonon. P. VII. Serm. VIII.

(3) Idem Card. Palæot. ibid.

III.

Nulla vero medicamenta præbere debent periculosa, et dubia ad experimenta capienda, maxime in pauperum morbis: multoque minus, quæ superstitione aliqua implicentur (4), ne a dæmone malorum omnium architecto sanitatem expectare videantur, qui insidiari novit, et nocere, non mederi, ut ait divus Joannes Chry-

(4) Idem Card. Palæott. ibid.

Chrysostomus (1). Ubi autem cum muliere prægnante gravi morbo oppressa sibi res sit (2), omni circumspectione utantur, ut abortus periculum devitent, saluti animæ parvuli omni conatu prospicientes. Si vero ad tuendam alicujus famam medicamentum adhibuerint, ut inducatur abortus, noverint se ipso facto anathemate Nobis reservato irretitos esse (3), et tamquam homicidas crudeles habendos.

I V.

Sed nihil est, quod a Medicis plus expetatur, et gravissimo præcepto, pœnisque superadditis inculcetur, quam ut id maxime contendant, ne ægrotantes non perceptis Ecclesiæ Sacramentis decedant. Innocentius III. in Concilio Lateranensi districte præcipit Medicis (4), ut ad infirmos vocati, ipsos ante omnia moneant, et inducant, ut Medicos advocent animarum. Renovavit idem præceptum Clemens V. in secundo Concilio Ravennate, cui Hubertus Antecessor noster interfuit (5). Sanctus Pius V. (6) vehementius pressit Medicos, voluitque, ut ad ægrotum invisendum arcessiti illum ante omnia moneant, ut idoneo Confessario peccata sua confiteatur, nec tertio die ulterius eum visitent, nisi de peracta confessione constiterit: præcepitque etiam, ut dum laurea decorantur, jurisjurandi religione interposita, spondeant, se huic legi obtemperaturos. Gregorius XIII. (7), quæ a Lateranensi Concilio, et sancto Pio V. indicuntur, confirmavit. Pœnæ vero adjunguntur in harum legum violatores, ut præter gravissimum crimen, quo obstringuntur, reatumque perjurii, ingressu quoque ab Ecclesia prohibeantur, perpetuaque infamia, et suspensione ab officio, et gradu, et pecuniariis multis, aliisque pœnis ad arbitrium Episcoporum puniantur (8). Noverint igitur, se supremo Judici rationem reddituros, si vel infirmum non docuerint de onere Medicis imposito abstinendi a visitando, si rite non fuerit confessus, vel ægritudines dissimu-

(1) *Homil. I. adversus Judæos.*

(2) *Synod. Hieronym. Colum. P. III. Cap. IX.*

(3) *Greg. XIV. Const.* Sedes apostolica 1591.

(4) *Cap.* Cum Infirmitas *tit. de Pænit. et Remiss.*

(5) *Anno 1311. Rubric XV de Pænitent.*

(6) *Constit.* Supra gregem. *anno* 1566.

(7) *Constit.* 68. Alias.

(8) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. IX. Et Hieronym. Colum P. III. Cap. IX.*

simulaverint, quas ad interitum corporis ebullire deprehenderint (1). Perspectam habemus Medicorum, qui in hac nostra Civitate versantur, doctrinæ præstantiam, et probitatem, nec dubitamus, quin ultro, et sedulo parere velint Pontificum sanctionibus, quinimmo et ipsis naturæ legibus, et humanitatis institutis.

(1) Amba Syn. nost. laud. ibid. Et Bened. XIV. Notif. II. Vol. II.

V.

Confidimus etiam sedulos, et circumspectos futuros in judiciis ferendis circa Quadragesimæ, et jejunii solutionem, nec ex ipsorum mente elapsura esse, quæ Prædecessores nostri (2) hac de re tradidere, Nosque ipsi duabus litteris ad ipsos datis ingessimus, quas in Appendice apponemus (3). Has igitur artis medicæ Professores recolant, et dent operam diligenter, ut sanctissima Ecclesiæ disciplina, quoad fieri possit, per ipsos etiam retineatur.

(2) Card. Paleot. Archiepiscop. Bonon. P. VI. Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. IV. Bened. XIV. Notif. XV. Vol. I.

(3) Vid. in Append. Num. III.

VI.

Qui ad Moniales infirmas curandas deligentur, ætate, et morum gravitate excellere debent, et digni esse, qui inter sacras Virgines versari possint. Intra clausuram non admittantur, nisi necessitatem testificante ea, quæ Cœnobio præsit, et nisi a Nobis de scripto expedita facultas sit (4): et recta ad decumbentes se transferant, duabus devexæ ætatis Monialibus comitantibus: et suo munere defuncti eadem via revertantur, nec per Cœnobia divertant (5). Nullam ex puellis in educatione positis alloquantur, neve recipiant, aut tradant epistolas sive Moniali, sive puellæ, nihilque agant præter munus suum (6). Ceterum pareant formulæ juramenti præscriptæ (7) pro curandis Monialibus, et singula, quæ jurarunt, observent. Atque hæc omnia, quæ de Medicis diximus, servari volumus, et mandamus a Chirurgis, quos in Domino obtestamur, ut omni sedulitate, charitate, et honestate, et religionis officio munus suum persequantur.

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

(5) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(6) Amba Syn. nost. laud. ibid.

(7) Ead. Synod. nost. ibid.

CAPUT

CAPUT XIII.

De Cauponis, et eorum Præfectis.

I.

Cauponæ ad excipiendos præcipue longinquos homines, et advenas constitutæ, nisi certis legibus coerceantur, erunt officinæ nequitiæ, et omnium flagitiorum diversoria. Id ne contingat umquam, earumdem Præfectis mandamus, ne quæ a Prædecessoribus nostris (1) hac de re præscripta fuere, oblivioni tradant, sed accurate custodiant. Ars enim cauponia multis obsidetur animarum periculis (2), quibus nisi opportunis remediis occurrant qui illam exercent, in certum salutis discrimen adducuntur. Edicta nostra de observantia quadragesimæ patenti in loco exposita teneant, et Parochorum sedulitatem exposcimus, ut aliquando tabernas invisant (3), excitentque illorum observantiam, quæ in illis continentur.

II.

Et primo videant cauponarum Præfecti, ne mundi negotiis involuti, ab æternæ vitæ acquisitione oculos avertant. Singulis mensibus Sacramentis se roborent: dies festos religiose percurrant, et ab aliis observari satagant (4). Hospites benigne excipiant, neque nimium extorquendo divexent; sed sine Dei offensione moderatis quæstibus, et mercedibus contenti sint. Familiam bene moratam habere curent, eique verbo, et exemplo præeant. Filias ab hospitum conspectu, colloquiisque prohibeant. Ancillæ vero, aliæque mulieres (5), nonnisi honestæ, et pudicæ, et maturæ ætatis sint: inhonestas, et impudicas omnino longe arceant, et repellant. Curent, ut quicumque in famulatu fuerint, christianos mores exprimant: idcirco (6) concubinarios, blasphemos, perjuros, peccata statis ab Ecclesia diebus non confitentes, non communicantes, decipientes aliquo mo-

(1) Card. Palaot. Archiepiscop. Bonon. P. VI. Et Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. X. Et Hieronym. Colum P. III. Cap. XIII.

(2) Card. Palaott. ibid.

(3) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.

(4) Card. Palaott. ibid.

(5) Card. Palaott. ibid.

(6) Card. Palaott. ibid.

quo modo advenas, doctrinam christianam ignorantes, aut alio quocumque turpiori vitio notatos in familiam non recipiant, neque, si receperint, de ipsorum vita certiores facti, cum suis diutius esse patiantur.

III.

Domus ipsa tota ad christianam honestatem composita sit. In quolibet cubiculo sit imago aliqua ad pietatem bene conformata Christi Domini, aut Beatæ Virginis, aut Sanctorum, et vasculum aquæ benedictæ (1). Habeant in promptu Libros devotos, et pios, ut petentibus ad horas fallendas suppeditent (2). Omnino Libros obscœna continentes, et impia, et superstitiosa nec apud se habeant, nec aliis legendos præbeant. Neque in tabulis, neque in parietibus lascivum quidpiam appareat: si quid indecorum alicujus procacitas scripserit in parietibus, aut depinxerit, inducto albario deleatur (3). Quamobrem mandamus Parochis, ut in sacra, et annua domorum aspersione (4) pervestigent, an ulla sint in tabernis obscœnitatis indicia, eaque penitus auferri jubeant. Ipsos vero cauponarum Præfectos non obtemperantes pecuniariis multis, aliisque pœnis afficiemus. Atque hi quoque ludos a jure vetitos (5) omnino prohibeant, eos tantummodo permittentes, quos honesta patitur delectatio. Verum christiano viro partes dignissimas sustinebunt (6), si hospites invitent ad elegantioris structuræ templa Civitatis invisenda, et ad reliquias Sanctorum venerandas per urbem deduci curent. Diebus autem festis consuetæ publicæ precationis cultum proponant, hortenturque, ut matutino tempore, antequam se dent in viam, Sacro interesse velint, si innumera, quæ in itinere impendent pericula, velint evitare.

(1) *Card. Palaott. ibid.*

(2) *Card. Palaott. ibi. Et amba Synod. nost. ibid.*

(3) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

(4) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

(5) *Amba Syn. nost. laud. ibi.*

(6) *Card. Palaott. ibi. Et amba Synod. nost. laud. ibid.*

IV.

Suspectas fœminas errabundas (7) meretrices, lenones ad hospitium ne admittant, excepta necessitate brevissimi transitus. Leges enim hospitii non infringuntur,

(7) *Card. Palaott. ibi. Et amba Synod. nost. ibid.*

tur, sed religiose firmantur, dum ea removentur, quæ hospitibus offendiculo esse possint, et conscientiæ detrimento. Inhonestos cantus excludant; honestos tamen cantus, honestaque oblectamenta, quibus fœminæ non intersint (1), tolerare poterunt. Ut autem debitæ dormientium honestati noctu consulatur, viris, et mulieribus ad se divertentibus, nisi certissime sibi pateat eos conjuges esse, diversa omnino cubicula, et distincta assignare debebunt. Semper autem maribus a fœminis (2) separata cubicula cautissime destinentur, nec pateat transitus viris ad loca, ubi fœminæ cubent, nec istis ad mares liceat permeare. A Sacerdotibus, et regularibus viris (3), si quando apud ipsos hospitentur, omnem prorsus injuriam amoveant: honestiora cubicula iis deputent, efficiantque, ut a suis ministris debitus iis honos semper exhibeatur; sunt enim sancti Deo. Famulorum procacitatem cohibeant: absona verba, et turpes sermones excludant. Si quem audierint (4) blasphemias, aut impia verba in Deum, vel beatam Virginem, et Sanctos proferre, vel acceperint a ministris advenas, seu quoscumque ad tabernas accedentes insana protulisse, vel male de Religione catholica sentire, denuncient Nobis, vel fidei Quæsitoribus sub pœnis in edicto sanctæ Inquisitionis contentis.

(1) Card. Palaott. ibi. Et ambæ Synod. laud. ibid.

(2) Ambæ Syn. nost. laud. ibid.

(3) Card. Palaott. ibid. Et Ead Syn. nost. ibi.

(4) Card. Palaott. ibid. Et ead. Synod. nost. ibi.

V.

Omni studio enitantur ebrietatibus locum intercludere: eos foras extrudant, qui cyathos sorbillando totum producunt diem, præsertim si dies festus sit; neque eos abigere expectent, dum neque pes, neque mens satis suum faciat officium. Quas dapes (5), et cibos advenis in mensa parent, videant cauponæ Præfecti: non enim diebus Quadragesimæ, nec pervigiliis ab Ecclesia præscriptis, nec feriis sextis, nec sabbatho carnes, et vetitos cibos apponent, nisi certa dantibus argumenta veræ necessitatis, vel impetratæ facultatis.

(5) Card. Palaott. ibi. Et ambæ Synod. nost. laud. ibid.

V I.

Si quis ex hospitibus (1) in morbum inciderit, nedum Medicum arcessent, sed et Parochum, ut corpori, et animæ salutaria remedia adhibeantur. Quod, si ea paupertate prematur ægrotus, ut curationis pretium solvere nequeat, illum caupones ad Nosocomium adduci curent, ibique sæpius visitent, atque eleemosynis etiam adjuvent. Interim vero, quæ ad illum spectant, sive pecuniam, sive vestimenta, sive quid aliud, sub custodia asservent opportune reddenda, si convaluerit, vel si diem supremum obierit, pro ut disposuerit verbo, vel scripto, hæredibus tradenda. Occultantes autem, subtrahentes, aut quoquo titulo, et colore de demortui inventis diminuentes, sive cauponæ Præfecti fuerint, sive ministri, Excommunicationis sententia statim innodatos volumus, et declaramus (2). Si contingat Heterodoxum in caupona diversantem gravi morbo laborare, Nos tempestive certiores fieri volumus, ut, Deo dante, opportunis remediis eumdem ad salutis tramitem traducere conemur, et ab æterno interitu vindicemus.

(1) *Card. Palavic. ibid. Et ead Synod. nost. ibid.*

(2) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

CAPUT XIV.

De Usurariis, Concubinariis, et Meretricibus.

I.

USuræ vitium in judæo homine turpe, in homine christiano turpissimum, quod divinæ, ecclesiasticæ, et civiles leges insectantur, et vindicant, dirisque omnibus devovent, cupiditate instigante, fucatis etiam aliquando coloribus delinitum, serpere, et humanam, christianamque societatem pervertere non desinit. Idcirco

circo curandum summopere in contractibus ineundis, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter fiat: nec Parochi, et Concionatores prætermittant ostendere fidelibus *usuræ labem, ac vitium* (1) *a divinis Litteris vehementer improbari: illud quidem varias formas, atque species induere, ut fideles Christi sanguine restitutos in libertatem, et gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat. Quo circa, si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiantur, sed potius ab illis, qui doctrina, et virtutis gloria supra ceteros efferuntur, consilium exposcant.* Manavit enim hisce temporibus in vulgus opinio, et inveteravit, usuram nomine quidem contineri, quæstionesque subtiles cieri; re autem ipsa nullam esse, et pecuniam, quæ qualibet ratione alteri concedatur, fructu suo carere non debere. Doceant igitur ex sola pecuniæ collatione, tamquam mutui lucrum, nullum fructum repeti posse; sed tantum si alii tituli (2) naturæ mutui minime innati, et intrinseci concurrant. Frustra enim tot ecclesiasticæ sanctiones elaborassent in usuræ execrationem, si solo nomine ignominia notaretur, vera autem turpitudine non inquinaretur: atque adeo planum faciant, non ad avaritiæ incitationem, sed ad Ecclesiæ legum normam contractus esse inducendos; omnes autem Ecclesiæ leges cum veteres, tum recentes in usuram, tamquam in pestem teterrimam conclamare. Benedictus XIV. præclaram edidit hac de re constitutionem (3), ex qua declinandæ usuræ argumenta depromi possunt. Volumus itaque, ut omnes Ecclesiæ sanctiones contra usuræ labem conditæ religiose a nostris serventur.

II.

Non improbamus quidem, quæ dicuntur, Cambia ad consociandum commercium necessaria; modo tamen justitiæ cancellos ne egrediantur, et conditiones serventur a sancto Pio V. præscriptæ (4). Census item

(1) Bened. XIV. Const. Vix pervenit anno 1745.

(2) Constit. cit.

(3) Constit. cit.

(4) Constit. In eam ann. 1571

sus item retineri, inirique possunt, perpensis tamen, accurateque completis conditionibus, ab eodem sancto Pontifice præstitutis (1). Contractus quoque societatis, quo quis pecuniam (2), animalia, resque alias, alter autem operam, industriamque confert, sincere, ac bona fide instituatur, justisque, et æquis conditionibus ab jure appositis, et a Syxti V. constitutione adjunctis (3).

I I I.

Notarii porro (4), si de contractu usura implicito rogati, eaque perspecta, re tamen dissimulata instrumenta confecerint, præter pœnas a sacris Canonibus indictas, aliis pecuniariis, et arbitrariis a Nobis plectentur. Qui quidem caveant, ne contractus a filiis familias initos temere conscribant. At in proxenetas, qui contractus usura infectos conciliarint, multis pecuniariis, carcere, aliisque pœnis arbitrariis animadvertemus.

I V.

Quum usuræ crimen laicos dedeceat, ab ecclesiasticis quidem viris longissime abesse debet: aliter pœnis ab jure latis, et aliis a Nobis corripientur (5), sive per se, sive per interpositas personas fœnerati fuerint. Cujus rei ne ulla inhæreat suspicio (6), si vel ex aliqua alienatione, vel census restitutione, vel alia ratione pecunia illis obveniat, quæ ex Ecclesiæ præscripto sit iterum collocanda; hæc in æde sacra Montis Pietatis, deponatur, donec fructuosæ collocationis opportunitas fiat.

V.

Male parti per usuras fructus sunt restituendi. Si de incerta restitutione agatur (7), et ea de causa Parochis, vel Confessariis restituenda pecunia tradatur, hæc piis usibus deputanda est. At si summa oblata excedat viginti quinque scuta aurea cameræ, non erit eorum arbitratu impendenda; sed ad Nos perfugium habea-

(1) Constit. Cum onus 1508.
(2) Synod. Hieronym. Colum. P. III. Cap. XII.
(3) Constit. Detestabilis, 1586.
(4) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. VIII.
(5) Synod. ead. ibid.
(6) Synod. ead. ibid.
(7) Synod. ead. ibid.

habeatur, qui ad justitiæ leges, et ad charitatis ordinem, quid sit agendum, definiemus. Si quis, Nobis inconsultis, de ea majori summa arbitrio suo deliberare præsumpserit, pœnis Nobis arbitrariis afficietur.

V I.

Sed alia quoque scelestissimorum hominum crimina, nefariæque turpitudines ad se Nos revocant, et ad castigationis acerbitatem vel invitos impellunt. Grave peccatum est, homines solutos (1) concubinas habere; gravissimum vero, et in sancti matrimonii singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, et retinere. Si Parochi intelligant, in aliqua domo hujus generis turpitudinem insidere, omni cura propulsare eam, et abscindere contendant. Sin minus id valeant, Nos admoneant, qui contumaces pœnarum, quæ a Tridentina Synodo (2) sunt constitutæ, verbere reprimemus. Itaque ne homines perditissimi (3) alios etiam imbecilles, ac debiles suo perdant exemplo, si ter a Nobis, vel a Parochis admoniti non resipuerint, sacro Concilio obsequentes, eosdem excommunicatione percellemus, aliisque pœnis contra concubinarios, et adulteros ab jure inflictis procedemus: In qua excommunicatione, si lutulenta libidine devincti per annum insorduerint, severioribus pœnis in eos pro gravitate criminis animadvertemus.

(1) *Synod. Trident. Sess. XXIV. de Reform. Matrim. Cap. VIII.*

(2) *Loc. cit.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. VIII. Et Hieronym. Colum. P. III. Cap. II.*

V I I.

Conjugatæ vero mulieres (4) cum solutis, vel solutæ cum Conjugatis, vel solutæ cum solutis, quum fuerint monitæ, nisi habitare simul destiterint, graviter, atque etiam fustigatione plectentur, et tamquam detestabilis pestis a tota Diœcesi profligabuntur. Qui vero, vel quæ (5) lenocinii flagitio convicta fuerit, carceris pœna, durissimi insuper jejunii inedia, aliisque macerabitur.

(4) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

(5) *Ead. Syn. nost. ibid.*

V I I I.

Qui in hisce sceleribus, et flagitiis volutantur, non-

nonnisi, abscissa penitus peccandi occasione (1), scandaloque amputato ad Sacramenta admitti debent, nec Sacerdotes ab illa divini interdicti regula discedant (2): *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos*. Neque vel in mortis articulo (3) sacram iisdem Eucharistiam administrent, nisi publica anteactæ vitæ detestatio præcesserit, si ejus criminis labes ad publicam notitiam permanavit. Confessarii vero non facile acquiescant dicentibus, se quidem domestica pravaque consuetudine occupatos fuisse; sed jam libidinis flammas refrixisse, et peccandi occasionem desiisse: nam nisi hæc radicitus revellatur, et lapis offensionis procul amandetur, facillimum est, nova excitari incendia, et exitiosas peccatorum illecebras reviviscere: *credite mihi*, ait divus Bernardus (4), *vitia et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo excitantur*.

(1) Vid. Prop. 41. damnat. ab Alexandro VII. Et 61. dam. ab Innoc. XI.
(2) Matth. VII. v. 6.
(3) Amba Syn. nost. laud. ibid.
(4) Serm. LVIII. in Cant.

I X.

At infame, et pestilentissimum Meretricum genus, christianisque moribus infensissimum, quum e civitatibus, quod optatissimum esset, exterminari non possit, mandamus (5), ut in abjectiores, remotioresque urbis angulos conjiciatur. Perditæ hæ mulieres prope Cœnobia, et Ecclesiarum ædes domos ne conducant: id nisi præstiterint, abigendas procul curabimus. Publicis supplicationum cœtibus ne se admisceant (6): neque in sacram ædem, in qua diebus Rogationum beatissimæ Virginis effigies adoranda proponitur, sese intromittere audeant: neque eas adeant Ecclesias, ubi sanctissimum Sacramentum publice exponitur. Ad Monasteria Monialium ne accedere quidem quocumque pretextu audeant (7); secus in eas severe animadvertemus. Si qua ex ipsis (8) Clerico, aut in sacris constituto, aut Religioso adhæserit, fustigationis, et exilii pœna multabitur.

(5) Amba Syn. nost. laud. ibid.
(6) Ead. Syn. nost. ibid.
(7) Synod. Jacob. Boncomp. ibi.
(8) Amba Syn. nost. laud. ibid.

X. In

X.

In meritoriis tabernis, vel publicis cauponis (1) numquam pernoctent. Quia vero plures ex hisce per noctis tenebras vicos, et compita Civitatis pervagantes, sub specie stipem quæritandi, tendiculas ponunt, prætereuntes circumveniunt, faces libidinis admovent, illiciunt, inescant, crumenas emungunt, mortiferasque clades animis inferunt, præcipimus, ut (2) elapsa prima noctis hora in sua se cito gurgustia, latebrasque recipiant. Quod si parere noluerint, comprehensas carcere, et fustigatione puniemus.

(1) Amba Syn. nost. laud. ibid.

(2) Ead. Syn. nost. ibid.

CAPUT XV.

De Constitutionibus, et Taxis Fori Archiepiscopalis.

I.

QUoniam operi inchoato, prope tamen absoluto, tamquam fastigium imponimus, necesse est, ut aliquid de Constitutionibus, et Taxis Fori Archiepiscopalis dicamus. Quod igitur a Prædecessoribus nostris recte, et prudenter statutum invenimus, et nonnulla, quæ Nos ipsi statuenda initio hujus nostri pastoralis officii, adhibito Canonistarum, Notariorum, et Theologorum consilio judicavimus, et jam ad praxim, et usum deducta sunt circa Taxas Fori ecclesiastici, et nostræ Curiæ Archiepiscopalis Bononiæ, tam in civilibus, quam in criminalibus, omnino observanda decernimus. Quamobrem nulli liceat statuta violare, aut Taxas excedere, quocumque colore, aut prætextu: reservata tamen Nobis libera facultate (3) easdem Constitutiones, et Taxas augendi, minuendi, revocandi, novasque conficiendi, quandocumque expedire judicaverimus.

(3) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. XI.

II.

Quicumque vices nostras in judiciis gerunt, solertes admodum sint in administranda omnibus justitia, ac præsertim viduis, pupillis, et aliis miserabilibus ad Tribunal nostrum accedentibus personis: quarum in causis, omissis tergiversationibus, quæ lites protrahant, celerius, quoad fieri queat, procedatur (1), sed debita cum discussione jus suum cuique tribuatur. Quibus vero in causis admitti valeat appellatio suspensiva, liquet ex Constitutione Benedicti XIV. (2), a cujus præscriptionibus, ac doctrinis non erit recedendum.

(1) Synod. Trid. Sess. XXV. Cap. X. de Reform.
(2) Ad militantis Ecclesiæ 1742.

CAPUT XVI.

De Examinatoribus, et Judicibus Synodalibus.

I.

EXaminatorum Synodalium, qui a Nobis propositi, et a Synodo probati fuere, munus longe gravissimum est, et eorum diligens ratio habenda est. Ab iis enim, quos doctrina præstantes delegimus, etiam repetitur, ut jurati ad sancta Evangelia, quemadmodum Tridentina Synodus præscribit (3), quacumque humana affectione postposita, fideliter munus suum exequantur: quo nisi integro judicio, incorruptaque fide defungantur, quando ipsis demandetur illos diligenter excutere, qui ad parochiales Ecclesias contendant, summo Ecclesiæ detrimento, violatisque justitiæ legibus, minus idonei in illas invadere possent. Meminerint ergo se arctissimo jurisjurandi vinculo constrictos esse, et religionis vim, et Ecclesiæ utilitatem, et animarum commoda ceteris humanis rationibus anteponenda esse: nec favore alicujus, nec propensione, nec commendatione adduci debere ad judicandum, sed ad solas justitiæ

(3) Sess. XXIV. Cap. XVIII. de Reform.

stitiæ leges de probitate, et scientia, et industria Candidatorum judicium ferre oportere.

I I.

Ut nemini Simoniæ pestis insidere debet; ita ipsis ne ulla quidem vel minima species inhæreat: atque adeo ejusdem Tridentinæ Synodi (1) verba subjicimus, quæ reposita animo tenebunt: *caveant*, inquit, *ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante, nec post accipiant: alioquin Simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant: a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia imposterum inhabiles reddantur.*

(1) *Ibid. et Syn. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. XII. Et Hieron. Columnn. P. III. Cap. XV.*

I I I.

Dum examini dant operam, scientiæ ostentationem devitent: non vanis digressionibus excurrant (2): non invicem propositis quæstionibus digladientur: non rumores cieant: ea solum dicant, quæ ad res dilucidandas faciant, et ad rectum judicium instituendum de postulantium scientia. De materia in examine pertractanda (3) ne hilum quidem prodant: nec aliquem Candidatorum privatim instruant (4), nec quemquam ex hisce impensius laudare pergant (5), ut aliorum suffragia facilius extorqueant.

(2) *Ead. Syn. nost. laud. ibid.*

(3) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

(4) *Amba Syn. nost. laud. ibid.*

(5) *Synod. Jacob. Boncomp. ibid.*

I V.

Qui, Ecclesia aliqua vacante, concursus habebuntur, hi semper ad normam a Clemente XI. (6), et Benedicto XIV. (7) præscriptam conformabuntur, quam bene tenere debent, et persequi Examinatores, ut rite munus suum gerant. Concurrentes vero Notario Cancellario nostro omnia documenta exhibebunt, quibus ætas, studia, peracta munera, præstiti Parochiæ labores, et alia merita constare possint. De scripto autem propositis quæstionibus respondere debent et ii, qui a Patronis præsentantur, ut eorum scientiæ fiat perspectior, et major ad studia prosequenda exacuatur industria.

(6) *Encycl.* Quo Parochiales 1741.

(7) *Constit.* Cum illud. 1742.

V.

Noverint vero Abbates commendatarii, et Capitula, quæ Beneficiorum etiam parochialium, vel perpetuorum Vicariatuum habent collationem, sibi non competere facultatem edicta proponendi, aut ea ex hac causa promulgandi, quæ tantum Episcopis convenit, iisque, qui Synodos indicere, et cogere possunt (1).

VI.

His iisdem Synodalibus Examinatoribus utemur ne dum pro Ecclesiis parochialibus conferendis; sed etiam pro illis probandis, qui ad Ordines admitti, vel ad excipiendas confessiones deputari postulabunt: in quo tamen munere aliorum quoque operam exquiremus, qui theologica facultate floreant. Atque ii omnes, dum promovendos ad Ordines examine pertentabunt, ne dum de Christiana doctrina, deque iis, quæ Ordines respiciant, interrogabunt, sed etiam de iis studiis experimentum capient, quæ frequentanda indiximus ab illis, qui ad Ordines tendunt, quibus si bene informati non fuerint, repulsam sustinebunt. Benigne autem omnes (2), et perhumaniter accipient: qui pusillo erunt animo, et timido, eos confirmabunt: neque subdolis interrogationibus quemquam fatigabunt; sed relictis ambagibus dilucide, et distincte rem peragent.

VII.

In Judices etiam Synodales produximus, et delegimus viros omni genere laudis excellentes, ut eadem Tridentina Synodus præscribit (3), et dignitate, et munere insignes, qui de causis ecclesiasticis, et spiritualibus, et ad Forum ecclesiasticum spectantibus, ab apostolica Sede, sive a Legatis, et Nunciis, sibi delegatis judicabunt.

VIII.

Atque hi quidem non nativa sua auctoritate, et jurisdictione quidquam definiunt, sed qua a Sede apostolica delegati donantur. Sacrorum Canonum scientia indi-

(1) *S. C. Concil. apud Gallemart.*

(2) *Ambr. Syn. mox laud. ibid.*

(3) *Sess. XXV. Cap. X. de Reform.*

indigent, ne in judicando labantur. Ad eos attinet causas locorum piorum, et miserabilium personarum quantocius expedire (1).

(1) Synod. Trid. ibid.

I X.

Ex hisce Judicibus Synodalibus jus est Regularibus aliquem, quem maluerint, sibi tamquam Conservatorem assumere, qui eos ab injuriis, violentiisque defendat. Quod si illi fecerint, tenentur intra sex menses a facta electione Curiæ nostræ referre: et tunc hisce Conservatoribus exhibebitur forma in Regularium judiciis servanda ex Bonifacio VIII. (2), et ex Constit. Gregorii XV. (3).

(2) Cap. I. de Offic. Deleg. in 6.
(3) Incip. Sanctissimus.

CAPUT XVII.

De Synodalium Constitutionum Observantia.

I.

HAbetis jam, venerabiles Fratres, et Filii dilectissimi, Synodalia decreta, quæ, Deo dante, perfecimus, ad finemque deduximus. His illa omnia complexi sumus, quæ muneris nostri cura, et sollicitudo requirebant, nihilque prætermisimus eorum, quæ ad fidem catholicam tuendam, et corroborandam, moresque componendos valerent, quæ labentem disciplinam erigerent, quæ Cleri dignitati prospicerent, cunctasque populi corruptelas delerent, ut Ecclesiam, quam a Majoribus fidei puritate, et sanctitatis, et religionis notis insignitam accepimus, iisdem ornamentis instructam, et locupletatam ad posteros transmitteremus. Atque hæc quidem decreta, quæ nostra sunt, et tamquam nostra rata, et firma esse volumus, et mandamus, non sunt arbitrio, et voluntate nostra confecta; sed e divinis litteris, e sanctorum Patrum libris, e Conciliorum, præsertim Triden-

Tridentini sanctionibus, e summorum Pontificum legibus, e sacrarum Congregationum definitionibus, ac Synodalibus clarissimorum Prædecessorum nostrorum statutis, et sanctionibus decerpta, atque eruta, ut si quæ in oblivionem devenerint, hac nostra auctoritate reviviscant, atque in unum quasi corpus conflentur, ut ex hisce quasi e penu quodam omnia desumi possint, quæ huc illucque vagabantur. Siquidem, ut egregie monet, æterna memoria dignissimus Benedictus XIV., (1) *necesse non est, ut in qualibet Synodo novæ semper condantur leges, sed quandoque expedit antiquas tantum instaurare, earumque insistere observationi.*

(1) De Syn. Diœces. Lib. VI. Cap. I. §. 2.

II.

Restat id unum, ut quæ Theologorum, et Juris canonici intelligentia præstantium judicio congessimus, hæc quam diligentissime serventur, neque temporis diuturnitate consenescant, nec languore, desidiaque excidant, nec pravis interpretationibus eludantur; sed omni accurata ratione perficiantur. Res plane misera, et miseranda esset, objecto vobis lumine, quo gressus vestri in viam salutis æternæ dirigantur, cæcutire vos in ipso meridie, et palpare sicut in tenebris. Has ergo leges excipite, perinde ac Christum ipsum exaudiretis juxta illud (2): *qui vos audit, me audit.* Illas in corde recondite, meditamini, et sæpe memoria recolite, et omni tempore, quæ sunt constituta, perficite. Manete sani in fide, in dilectione, in charitate non ficta, in patientia, in longanimitate, expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi: vobisque persuasum sit, vos esse quidem Nobis carissimos; sed multo fore cariores, si talibus præceptis, institutisque servandis operam dabitis.

(2) Luca XVI. 16.

III.

Quia vero *cura disciplinæ* (3) *dilectio est, et dilectio custodia legum illius est*, ea de vobis Nobis insidet opinio, et expectatio, ut certo existimemus, magna reve-

(3) Sapient. VI. 19.

reverentia has leges a vobis acceptandas esse, magnoque affectu, et amore virtutis executioni mandandas: ob eamque causam pœnarum severitatem mitigandam censuimus potius, quam exaggerandam, ut virtuti magis locus esset, quam timori. Si quis tamen eas infringere ausus fuerit, pœnas dabit ad culpæ mensuram: *dignum est enim* (1), *ut quos Dei timor a malo non revocat, ecclesiasticæ saltem coerceat severitas disciplinæ*.

I V.

Etsi vero Synodales has sanctiones firmas, et stabiles, perpetuasque esse velimus; integrum tamen erit Nobis (2), et Successoribus nostris eas interpretari, et declarare, atque etiam, manente legis obligatione, aliquem a legis vinculo subducere, et dispensare, *quippe omnis res* (3), *per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur:* aut etiam nova aliqua constituere pro variis emergentibus circumstantiis. Et similiter nostræ erit potestatis pœnas inflictas augere, vel minuere, aut commutare, prout personarum, vel delictorum circumstantiæ postulabunt.

V.

Ceterum quum per Edictum nostrum Ecclesiæ valvis, et consuetis Civitatis locis affixum, evulgata erunt statuta hæc nostra, vim legis obtinere volumus, omnesque constringere, et universum Clerum, ne dum secularem, sed et regularem, quoad ea, quæ ipsum attingant, nec non laicos universos. Et ne eorumdem inscitia, et oblivio observantiam infirmet, et tollat, volumus, ut ea sibi procurent Vicarii foranei, Parochi, Monialium Confessarii, Clerici, et Sacerdotes beneficio ecclesiastico gaudentes: Collegiatæ præterea, Confraternitates, Societates omnes, quæ in suis tabulariis impressa exemplaria asservabunt. Quare Vicariorum foraneorum (4), nec non eorum, qui menstruis conventibus Ecclesiasticorum præsunt, et Judicum, et Officialium conscientiam oneramus, ut harum legum vindi-

(1) Cap. Cum in cunctis. de Elect.

(2) Synod. Jacob. Boncomp. Lib. IV. Cap. XIII. Et Hieronym. Column. P. III. Cap. XVII.

(3) Cap. I. de Regul. Jur.

(4) Synod. Jacob. Boncomp. ibid.

vindices, et custodes, nostræque voluntatis quasi obsides, et fideijussores se præbeant, et in hoc elaborent maxime, ut eorumdem notitia ad omnes perveniat; observantia vero, et executio nullo tempore languescat, et torpeat, ad eamque perpetuo quasi stimulos admoveant. Cogitent autem hi, quanto se reatu obstringerent, si ipsorum lentitudine, et socordia contingeret, ut Ecclesia tot utilitatibus, quæ ex hisce institutis proficisci possent, per summum scelus destitueretur, et infinita animarum saluti impenderent pericula. Atque hæc loquimur, non quasi diffidentes, sed ut nostra vox, quæ debet esse hac in Ecclesia princeps, officio functa Pastorali videatur.

VI.

Quia vero par est, Romanam Sedem, primam Ecclesiarum Parentem, et veritatis Magistram, et columen, et firmamentum impense a Nobis observari, et coli, has omnes sanctiones nostras auctoritati, ac judicio supremo sanctissimi Domini nostri Pii VI. Petri successoris, et Domini nostri Jesu Christi in terris Vicarii, quem ad Ecclesiæ splendorem Deus diu sospitem servet, sincere, humiliterque subjicimus.

ADHOR-

ADHORTATIO
HABITA IN FINE
SYNODI
AB EMINENTISSIMO ARCHIEPISCOPO.

HÆc sunt, Ven. Fratres, Filii in Domino dilectissimi, quæ pro munere, et auctoritate nostra vestris auribus instillanda, cordibus inculcanda, atque opere a vobis complenda visum est Nobis edicere. Ut audistis, congesta sunt quæcumque hic præscripta ex penu Sacrorum Canonum, atque Constitutionum summorum Pontificum, ex Decretis sacrarum Congregationum, ex Statutis Antecessorum nostrorum, atque ex uberrimo fonte numquam interituræ memoriæ Benedicti XIV., qui Civitatem, et Diœcesim nostram tum Archiepiscopus, tum Pontifex Maximus et sapientissime rexit, et multijugi doctrina illustravit. Sunt ergo leges Patrum nostrorum, quas illis Dominus constituit, ut ad nos filios, et hæredes transferrentur. Sunt leges, quibus unusquisque nostrum sponte, libereque se subjecit, quum voluntati divinæ, atque vocationi obsequens instituta amplexus est Ecclesiæ. Quare illud absque ulla jactatione dicere vobis Nos posse videmur, quod Moyses, quum de monte descendisset, tabulas Testimonii portans digito Dei scriptas, filiis Israel intonuit *: *hæc sunt, quæ jussit Dominus fieri*.

* Exod. 35. v. 1.

Quod si Dominus fieri hæc jussit, Dominus inquam, qui optime novit figmentum nostrum, quique prævenit nos in misericordia, et miserationibus, et adjuvat infirmitatem nostram, quis hujusmodi leges in hoc Synodali conventu stabilitas aut asperas habebit, aut graves? Fidelis est enim Deus, nec permittit nos

 tenta-

tentari supra id, quod possumus, sed dante illo et velle, et perficere, facit etiam cum tentatione proventum. Animos itaque sumite, Ven. Fratres, Filii carissimi, et supplices ad eum, qui dat omnibus affluenter, mutua æmulatione certate, ut ostendatis vos non auditores tantum, sed factores legis ad justificationem. Illud vero cuncti curate diligentissime, ut omnes intelligant nos hinc discessisse multo meliores, quam huc accesserimus, atque in Spiritu congregatos Spiritum Christi accepisse nos, quo duce et auctore, semper quæ pacis sunt sequamur, quæ recta perficiamus. * *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem magnum ovium aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se, per Jesum Christum, cui est gloria in secula seculorum, Amen.*

* *Ad Heb.* 13. v. 20.

EXA-

EXAMINATORES SYNODALES

in Synodo renunciati, et approbati.

Ex Ecclesia Metropolitana.

Vincentius Emilius Comes Zambeccari Archidiaconus, utriusque Juris Doctor, ac Juris Civilis, et Philosophiæ Doctor Collegiatus, Lector Publicus, et Publici Archigymnasii Major Cancellarius.

Galeatius Comes Mariscotti, Archipresbyter, Juris Doctor Collegiatus, Lector Publicus, ac Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe Commissarius.

Petrus Comes Benati Canonicus Theologus, et Juris Pontificii Doctor.

Paullus Patricius Fava Major Pœnitentiarius, et S. Theologiæ Doctor Collegiatus.

Hieronymus Saladini Canonicus, Philosophiæ Doctor, et Lector Publicus.

Franciscus Comes Rovero Canon., S. Theol. Professor.

Ex Perinsigni Collegiata S. Petronii.

Petrus Aloysius Rusconi Præpositus, et S. Theologiæ Doctor Collegiatus.

Joseph Vogli Prior, S. Theologiæ Doctor Collegiatus, et Lector Publicus.

Jo. Baptista Dall' Occa Canonicus, S. Theologiæ Doctor Collegiatus, et Lector Publicus.

Aloysius Regazzi Canonicus, S. Theologiæ Doctor, et Rector Seminarii.

Ignatius Schiassi Canonicus, S. Theologiæ Doctor Collegiatus.

Philippus Giusti Canon., S. Theol. Doctor Collegiatus.

Jo. Baptista Morandi Canonicus, S. Theologiæ Doctor Collegiatus, et Lector Publicus.

Carolus Manzolini Canonicus, S. Theologiæ Doctor Collegiatus, et Lector Publicus.

Ex Insigni Collegiata S. Mariæ Majoris.

Joseph Moreschi Prior, S. Theologiæ Doctor Collegiatus.
Joannes Giuliani Canonicus.

Ex Parochis Secularibus.

Adeodatus Gnudi S. Theologiæ Doctor, et Lector Publicus, Abbas S. Juliani.
Joseph Bacialli S. Theologiæ Doctor Collegiatus, et Lector Publicus, Vicarius perpetuus, et Confessarius Monialium S. Margaritæ.
Carolus Fabri S. Theologiæ Doctor Collegiatus, Parochus S. Isaiæ.
Seraphinus Marmocchi S. Theologiæ Doctor, et Lector Publicus, Parochus S. Martini e Cruce Sanctorum.

Pœnitentiarii Metropolitanæ.

P. D. Alexander Sangalli Rector.
P. D. Philippus Maria Toselli Exprovincialis, et Lector Publicus.
P. D. Hieronymus Premoli.
P. D. Philippus Andreotti.
P. D. Joseph Homobonus de Bonis, Lector Publicus.

Ex Ordinibus Regularibus.

P. D. Aloysius Sambuceti Congregationis Cler. Reg. S. Paulli, Præpositus S. Luciæ.
P. D. Michael Angelus Griffini ejusdem Congreg., Theologiæ Moralis in D. Luciæ Professor, et Lector Publicus.
P. D. Aloysius Colli ejusdem Congr. Theologus.
P. D. Carolus Gambarini ejusd. Congreg., Collegii Nobilium S. Francisci Xaverii Rector.
P. D. Ignatius Scandellari ejusd. Congr., in D. Paulli S. Theologiæ Lector.
P. D. Joseph Ungarelli Præfectus Provincialis Cleric. Regul. Infirmis Ministrantium.

P. D.

P. D. Franciscus Raspi Superior S. Ignatii Congregationis Missionum.

P. D. Dominicus Girri ex eadem Congregatione.

P. D. Vincentius Benotti Canonicus Lateranensis, Abbas S. Joannis in Monte.

P. D. Stanislaus Vacchi Canonicus Lateranensis, Abbas Definitor.

P. D. Sebastianus Sacchetti Congregationis Rhenanæ Exgeneralis, Abbas SS. Salvatoris, et Lector Publicus.

P. D. Jo. Aloysius Mingarelli Exgeneralis ejusd. Congreg., Abbas S. Mariæ de Rheno, et Lector Publicus.

P. D. Archangelus Ferratini ejusdem Congregationis, Abbas S. Ceciliæ de Croaria.

P. D. Eugenius Franchi Monachus Casinensis, Prior S. Proculi, et Lector Publicus.

P. D. Petrus Cœlestinus Giordani Congreg. Camaldulensis, Abbas Classensis.

P. D. Æmilianus Cattani ejusd. Congreg., Parochus SS. Cosmæ, et Damiani.

P. D. Cæsar Scarselli Congr. Montis Oliveti Abbas Exgeneralis, et S. Theologiæ Doctor Collegiatus.

P. D. Benedictus Sturoli ejusdem Congreg., Abbas S. Michaelis ad Alpes.

P. M. Fr. Vincentius Venantius Bartoli Ordinis Prædicatorum, Prior S. Dominici.

P. M. Fr. Petrus Maria Gazzaniga ejusd. Ordinis Exprovincialis, Lector Emeritus Imperialis Universitatis Vindobonensis, et S. Theologiæ Doctor Collegiatus hónorarius Bononiæ.

P. M. Fr. Antonius Covi ejusd. Ordinis, S. Theologiæ Doctor Collegiatus, et Lector Publicus.

P. M. Fr. Vincentius Marchesini ejusdem Ordinis, S. Theologiæ Lector Publicus.

P. M. Fr. Franciscus Antonius Vacari Rossi Ordinis Minor. Conventualium S. Francisci Exprovincia-

lis,

lis, S. Theologiæ Doctor Collegiatus, et Lector Publicus.

P. M. Fr. Jo. Franciscus Bergonzoni ejusd. Ordinis, S. Theologiæ Lector Publicus.

P. M. Fr. Hieronymus Ballarini ejusd. Ordinis, S. Theologiæ Doctor Collegiatus.

P. M. Fr. Franciscus Xaverius Giorgi Ordinis Eremitarum S. Augustini, Prior S. Jacobi Majoris.

P. M. Fr. Nicolaus Bibiena ejusd. Ordinis.

P. M. Fr. Joseph Terzi Congregationis Lombardiæ ejusd. Ordinis, Parochus S. Blasii.

P. M. Fr. Jo. Angelus Rabbi Ordinis Servorum B. M. V., Provincialis Provinciæ Romandiolæ.

P. M. Fr. Hieronymus Malisardi ejusd. Ordinis, S. Theologiæ Doctor Collegiatus, et Lector Publicus.

P. M. Fr. Joseph Gualdi ejusd. Ordinis, Provincialis Provinciæ Mantuæ.

P. M. Fr. Franciscus Patritius Christophori ejusd. Ordinis, Prior, et Parochus S. Georgii.

P. M. Fr. Petrus Thomas Marocchi Ordinis Carmelitarum ex Conventu S. Mariæ Gratiarum, Assistens Generalis pro Italia, et S. Theologiæ Doctor Collegiatus.

P. M. Fr. Hieronymus Gratiani ejusd. Ordinis, Parochus S. Martini Majoris.

P. M. Fr. Marcellus Bernardi Tertii Ordinis S. Francisci Exprovincialis, S. Theologiæ Doctor Collegiatus, et Lector Publicus.

P. M. Fr. Antonius Maria Setti a Secretis Generalis ejusdem Ordinis.

P. Fr. Eusebius a S. Maria Exgeneralis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum.

P. Fr. Cœlestinus a S. Joseph Exprovincialis ejusdem Ordinis.

JUDI-

JUDICES SYNODALES

In Synodo renunciati, et approbati.

Ex Ecclesia Metropolitana.

VIncentius Emilius Comes Zambeccari Archidiaconus, Juris utriusque Doctor etc.
Galeatius Comes Mariscotti Archipresbyter, Juris Doctor Collegiatus, etc.
Carolus Franciscus Belloni, Præpositus.
Florianus Marchio Malvezzi, Primicerius.
Joannes Malvezzi Canonicus, Juris utriusque Doctor.
Petrus Comes Benati Canonicus Theologus, Juris Pontificii Doctor.
Paullus Patritius Fava Major Pœnitentiarius, S. Theol. Doctor Collegiatus.
Hieronymus Saladini Canonicus, Philosophiæ Doctor, et Lector Publicus.
Franciscus Comes Rovero Canonicus, S. Theologiæ Professor.
Carolus Comes Marsigli Canonicus, Juris utriusque Doctor, et Lector Publicus.

Ex Perinsigni Collegiata S. Petronii.

Hannibal Marchio Banzi Primicerius, et SS. Domini Pii VI. Prælatus Domesticus.
Franciscus Comes de Bianchi Decanus, Juris Doctor Collegiatus.
Petrus Aloysius Rusconi Præpositus, S. Theologiæ Doctor Collegiatus.
Aloysius Gualandi Canonicus, Juris Doctor Collegiatus, et Lector Publicus.

ROGITUS NOTARII

Super Actis Synodi.

IN NOMINE DOMINI. AMEN. Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi MDCCLXXXVIII. Indictione sexta, Die Jovis, IV. Septembris, Pontificatus SSmi in Christo Patris, et Domini, D. PII divina Providentia PAPÆ VI. Anno decimoquarto: Suprascriptæ Constitutiones, et decreta Synodalia, pluries in privatis Congregationibus a Viris doctrina, prudentia, ac pietate præstantibus sedulo, et multa maturitate discussa, lecta et publicata fuerunt in generali DIŒCESANA SYNODO BONONIENSI totius Cleri Civitatis, et Diœcesis in sancta Metropolitana Ecclesia legitime congregata, tribus Sessionibus rite, et ad formam habitis Dieb. II. III. et IV. supradicti ejusd. Mensis Septembris, præsidente Eminentissimo, ac Reverendissimo Domino D. ANDREA JOANNETTO Dei, et Apostolicæ Sedis gratia S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Bononiæ, et S. R. I. Principe, et ab eadem admissa, et acceptata fuerunt: Præsentibus Perillustr. D. D. Antonio Franchi, Josepho Nanni, Francisco Fabri, Angelo Bavosi, et Ludovico Gotti, Notariis Archiepiscopalibus Bononiæ, testibus ad præmissa omnia adhibitis specialiter, atque rogatis etc.

Gaspar Sacchetti
Curiæ Archiepiscopalis Bononiæ
Notarius Decanus.

ELEN-

ELENCHUS OFFICIALIUM
IN SYNODO.

Judices Querelarum, & Excusationum.

Philippus Lauri Vicarius Generalis.

Vincentius Emilius Comes Zambeccari Archidiac. Galeatius Comes Mariscotti Archipresbyter Nicolaus Comes Chiarelli Canonicus	Metropolitanæ.

Promotor.

Petronius Marchio Cospi Canonicus Metropolitanæ.

Depositarius pro Cathedratico.

Marcus Antonius Comes Carbonesi Canonicus Metropolitanæ.

Præfecti Scrutinii, & Disciplinæ.

Florianus Marchio Malvezzi Primicerius. Carolus Franciscus Belloni Præpositus Joseph Guastavillani Canonicus Amas Antonius Comes Savioli Canonicus Alphonsus Gioannetti Canonicus. Jo: Baptista Marchio Paveri Canonicus	Metropolitanæ.
Hannibal Marchio Banzi Primicerius. Franciscus Comes de Bianchi Decanus Petrus Aloysius Rusconi Præpositus	Collegiatæ S. Petronii.

Joseph Moreschi Prior Collegiatæ S. Mariæ Majoris.
Petrus Antonius Gozzoli Parochus S. Mariæ Labarum Cœli, Prior Cleri.
Adeodatus Gnudi Abbas, & Parochus S. Juliani.

Procurator Cleri.

Franciscus Maria Marchio Bolognini Canonicus Metropolitanæ.

Præfecti Hospitiorum.

Jo: Aloysius Malvezzi Canonicus)
Albertinus Comes Boschetti Canonicus) Metropolitanæ.
Vincentius Gioannetti Canonicus)

Secretarius.

Petrus Magnoni Cancellarius Archiepiscopalis.

Cæremoniarum Magister.

Fabianus Parisius. *Coadjutor* Jo: Baptista Ghinolfi.

Lectores.

Joseph Nistri)
Philippus Mezzetti) Mansionarii Metropolitanæ.

Directores Processionis.

Jo: Baptista Biagini)
Joseph Casanova)
Jacobus Natali) Capellani Metropolitanæ.
Placidus Calzolari)

Syndicus, seu Procurator Fiscalis.

Laurentius Gambarini.

Notarii Curiæ Archiepiscopalis.

Gaspar Sacchetti Decanus.
Antonius Franchi.
Joseph Nanni.
Franciscus Fabri.
Angelus Bavosi.
Lodovicus Gotti.

I N-

INDEX

Librorum, & Capitum Constitutionum Synodalium.

LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

FINIS.